

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.

**Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^{ae})¹**

Ad q. 81, 82 et 83

TRACTATUS DE ORIGINALI PECCATO

Sectio 1^a

DE VERITATE ET ESSENTIA ORIGINALIS PECCATI

Dubitatur 1^o

**Utrum sit peccatum originale veram culpae rationem habens
Ubi an ratione naturali probetur**

Negat Pelagius dicens pueros non ideo baptizari quia peccatum habeant quod per baptismum sit remittendum, sed ut in regnum caelorum admittantur et in filios Dei cooptentur, ut refert D. Augustinus, *De haeresibus*, haeresi 88², et saepe alibi.

Pelagium secuti sunt armenii, albanenses et albigenenses, ut ex D. Antonino, 4 p. Summae, tit.11, cap.7, § 5³, et Vincentio, libro 31 *Speculi historialis*⁴, refert Prateolo, verbo Albanenses et Albigenenses⁵⁶, et Castro, verbo *peccatum*, haeresi 1⁷. Eundem

¹ Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1^a 2^{ae} de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 76, 88, 89, 75, 77, 78.

² AUGUSTINUS, *De haeresibus ad Quodvultdeum liber unus*, haeresi 88: PL 42 47s.

³ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 4, tit.11, c.7, § 5: Lyon 1529, fol.103v.

⁴ VINCENTIUS DE BELLOVACENSIS, *Speculum historiale*: Venetiis 1494.

⁵ PRATEOLO MARCOSIO, GABRIEL, *Elenchus haeresiarum omnium quae ab orbe condito ad nostra usque tempora...*, Albanenses, Albigenenses: Colonia 1605, p.17, 18.

⁶ ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses libri XIII*, peccatum,

errorem docuit Petrus Martyr, anabaptistae, calviniani, et zuingliani apud Peltanum, *De originis peccato*, tract.5, initio⁸; et Bellarmino, tomo 3, *Controversia De statu peccati*, libro 4, c.2⁹.

Erasmus, ad Rom 1, explicans illa verba *in quo omnes peccaverunt*, aliter legit, scilicet *quatenus omnes peccaverunt*, et explicat peccatum Adami propter imitationem et non per propagationem inficere posteros, in quo non negavit aperte peccatum originale sed tantum negavit colligi ex hoc loco. Verum non parum suspectus est huius haeresis non solum propter hanc explicationem, sed etiam propter alia indicia quae bene notat Bellarminus citatus, et Taper, a.2, contra Lutherum, § *Inter sententias*¹⁰; eidem haeresi manifestius subscribit Faber Stapulensis in eundem locum ad Romanos 5, et in apollogia pro suis commentariis. A quo errore parum dissidet aliorum catholicorum sententia, de qua infra in conclusione 4^a.

Fundamenta huius haeresis praecipua sumuntur

—ex variis testimoniis Sacrae Scripturae et Sanctorum Patrum quae pelagianis in specie favere videntur;

—deinde, ex ratione peccati quod debet esse liberum et contra legem;

—ac denique ex causa peccati, qui nec Deus nec parentes in puero causare possunt peccatum originale.

Verum haec sigillatim tractanda sunt infra, praesertim dubio 2 et 3, et in sectione de propagatione originalis. Vide Castrum et Taper citatos; [f.404v] Clichtobeum, 2^o Propugnaculi, cap.32¹¹;

haeresi 1: Paris 1560, fol 206v.

⁷ ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses libri XIII*: Paris 1560, fol.206v.

⁸ PELTANO, TEODORO, *De originis peccato, tractatus quintus*: Colonia 1576, p.51.

⁹ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.2: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.329.

¹⁰ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... facultatis... lovaniensis*, art.2: Lovai-na, 1555, p.61.

¹¹ JOSÉ DE CLICHTHOVE, teólogo belga m. en Chartres en 1543. Cita su *Propugna-culum Ecclesiae adversus lutheranos* (Paris 1526).

Peltanum, integro volumine de originis peccato¹²; Bellarminum, libro 4, et 5 et 6, De amissione gratiae et statu peccati¹³, qui in 4 libro, cap.1¹⁴, refert plures alios doctores ex professo disputantes de originali.

1^a CONCLUSIO: *In hominibus est quoddam peccatum quod contrahit quicumque ex stirpe Adami viri generatione descendunt.*

Hanc D. Augustinus, 1^o Contra Iulianum, cap. 2, ait esse unum ex praecipuis fidei fundamentis¹⁵, et in illo et sequentibus libris latissime eam confirmat non solum ratione et testimoniis Sacrae Scripturae sed etiam Patrum antiquorum sententiis, unde libro 2, cap.10, ait: *propter quam catholicam veritatem sancti et beati et in divinatorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olimpous, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo presbyterum velis nolis Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam*¹⁶.

Praecipuum fundamentum est illud ad Rom 5 [12], *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.* Et, infra, *unius delicto peccatores constituti sunt multi.*

Haereticorum solutiones ad duas reduci possunt:

—1^a est Adamum peccando fuisse quasi quoddam exemplar omnium hominum peccantium, atque ita asserunt peccatum primi parentis ad filios transiisse *imitatione*, non *propagatione*; quam expositionem sequutus Erasmus lectionem mutavit, ut supra dictum est. Verum hanc expositionem refutat D. Augustinus ex

¹² PELTANO, TEODORO, *De originis peccato Disceptatio in tractatus duodeviginti distributa*: Colonia 1576.

¹³ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4,5,6: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.328-484.

¹⁴ ID., *Ibid.*, 1.4, c.2: p.328-333.

¹⁵ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.1, c.2: PL 44 643.

¹⁶ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.2, c.10: PL 44 697.

professo multis in locis, velut 1^o *Contra Iulianum*, c.7¹⁷ et *infra*, et 6^o libro, c.12¹⁸, et 1^o *De peccatorum meritis*, c.9¹⁹, et libro 1 *De baptismo parvulorum*, cap.10²⁰; et D. Thomas, 4 *Contra Gentiles*, c.50²¹.

Et quia in hoc testimonio Pauli et illius explicatione tota haec causa consistit, ut Augustinus notat 1^o *Contra Iulianum*, c.7²², ideo non est praetereundum, iam sine errore negari non posse quin Paulus citatis verbis ad Romanos 5 docuerit propagationem originalis peccati ex generatione et non ex imitatione pendentem; nam ita intelligit Concilium Milevitanum, canone 2²³, et habetur *De consecratione distinctione 4*, capite *Placuit*²⁴. Hoc autem Concilium approbatum est ab Innocentio I, ut habetur in epistula Innocentii ad idem Concilium²⁵. Eadem verba repetit Africana Synodus et Arausicana, cap.2²⁶.

Praeterea Athanasius²⁷, Origenes²⁸, Ambrosius²⁹, Anselmus³⁰, Beda³¹ et alii antiqui Doctores ita explicant caput 5 ad Romanos. Et novissime hunc esse loci intellectum quem semper

¹⁷ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.1, c.7: PL 44 664.

¹⁸ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, 1.6, c.12: PL 44 868.

¹⁹ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum libri tres*, 1.1, c.9: PL 44 114.

²⁰ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum*, 1.1, c.10: PL 44 115.

²¹ S. THOMAS, *Summa contra gentiles*, 1.4, c.50: ed.leon. 15, 159.

²² AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.1, c.7: PL 44 664.

²³ Dz-Sch 223.

²⁴ Dz-Sch 222 223.

²⁵ INOCENCIO I, *Epistola ad Concilium Milevitanum*: PL 20 588ss.

²⁶ Dz-Sch 375.

²⁷ ATANASIO, *Oratio I contra arianos*: PG 118s.

²⁸ ORIGENES, *Commentariorum in epistolam ad Romanos*, liber 5: PG 14 1005s.

²⁹ AMBROSIO, *Commentaria in XII epistolas Beati Pauli*, c.5, v.12: PL 17 97.

³⁰ ANSELMO CANTUARIENSE, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.7: PL 158 441.

³¹ BEDA, *Homilia in die festo Circumcisionis Domini*: PL 94 54.

tenuit Ecclesia Catholica ubique diffusa docet Tridentinum, sess.5, § *Si quis parvulus*³².

2^a CONCLUSIO: *Ex his colligitur de fide esse hanc culpam originalem non contrahi sola imitatione sed propagatione.*

Et hanc esse mentem Pauli PROBATUR 1^o, quia ait peccatum Adami ad omnes transiisse; sed non omnes imitantur Adamum, infantes enim non possunt; ergo peccatum non transit imitatione, sed propagatione. CONFIRMATUR ex Augustino, 1^o De peccatorum meritis³³, quia in eodem capite subdit Apostolus: *regnabit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui in similitudinem praevaricationis Adae non peccaverunt*; et quamvis Origenes³⁴ et commentarius qui inscribitur Ambrosii legant affirmative *peccaverunt*³⁵, tamen negative, scilicet *non peccaverunt* legunt graeci [f.405] et latini communiter et vulgata Sixti V iussu recognita³⁶.

2^o PROBAT Augustinus quia quod Iulianus explicat *in quo omnes peccaverunt*, scilicet propter quem omnes peccaverunt, ea phrasi loquendi qua dicitur Act 7 [29]: *fugit Moyses in verbo hoc*, scilicet propter verbum hoc, et Ps 118 [9]: *in quo corrigit adolescentior viam suam*. Hoc, inquam, reiicit D. Augustinus, libro 6 Contra Iulianum, cap.12³⁷, quia nihil dicimur facere propter aliquem nisi de illo cogitemus et hac cogitatione excitemur ad operandum; sed plurimi hominum prorsus ignorantes Adami peccatum vel de illo non cogitantes peccant; ergo non peccant propter Adamum; quare necessarium est intelligere *in*

³² Dz-Sch 1514.

³³ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, l.1, c.11: PL 44 116.

³⁴ ORIGENES, *Commentariorum in Epistolam... ad Romanos*, lib.5: PG 14 1017.

³⁵ AMBROSIO, *Commentaria in XII epistolas Beati Pauli*, c.5, v.12: PL 17 98.

³⁶ *Biblia Sacra vulgatae editionis, Sixti V. P.M. jussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita*, NOVUM TESTAMENTUM, (Ro 5, 14) pag.107.

³⁷ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.6, c.12: PL 44 868.

quo, scilicet Adamo peccante omnes peccaverunt, vel *in quo*, scilicet peccato Adami, omnes peccaverunt, ut ex D. Augustino intelligit D. Thomas, q.4 De malo, a.1 c., fine³⁸; et Magister, 2, d.30, § *Circumspecte et sine ambiguitate*³⁹. Et quamvis utramque explicationem patiatur vera theologia et latinus sermo, verumtamen secundum graecam vocem illud relativum *in quo* non potest referri ad culpam quae in graeco est generis feminini, et propterea Adamum ibi intelligunt graeci omnes, ut Chrysostomus⁴⁰, Theophilactus⁴¹ et Ecumenius⁴².

Simile argumentum desumi potest ex illis verbis *per unum hominem peccatum intravit in mundum*: vide Bellarminum, tomo 3, libr.4 De amissione gratiae, cap.3, col.4 et 5, probantem, ex proprietate et usu graecae linguae male traduxisse Erasmus *propter loco vocis per*⁴³.

3^o SEQUITUR ex illa explicatione Iuliani, eos qui propria voluntate non imitantur Adamum non egere Gratia et Redemptione nec esse filios irae, cuius oppositum ostendunt non solum verba quae retulimus sed etiam sequens contextus ad Rom 5: *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae*.

4^o, quia si sermo esset de exemplari aut imitatione, Evae peccatum vel daemonis dicerentur exemplar, ut argumentatur D. Augustinus, 6 Contra Iulianum, cap.12⁴⁴, et adducit illud Sapientiae: *imittantur illum qui ipsius sunt*, et libro De baptismo

³⁸ S. THOMAS, *De malo*, q.4, a.1 c: ed.leon. 23, 106.

³⁹ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.30: Quaracqui 1916, t.1, p.465.

⁴⁰ JUAN CRISÓSTOMO, Homil.10: Venetiis 1574 (t.4) fol.33vb... PG 60 477s.

⁴¹ THEOPHILACTUS, BULGARIAE ARCHIEPISCOPUS, *Commentarius in epistolam ad Romanos*, c.5. v.12: PG 124 403.

⁴² OECUMENIUS, TRICCAE IN THESSALIA EPISCOPUS, *Commentarius in epistolam ad Romanos*, (5,12): PG 118 415.

⁴³ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.3: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.332.

⁴⁴ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, 6, c.12: PL 44 868.

parvulorum, apud Magistrum 2, d.30⁴⁵.

Et quamvis Ambrosius in commentario exposuerit *per unum hominem, scilicet per Evam*⁴⁶, nihilominus ea expositio communiter reiicitur non solum a catholicis sed etiam ab haereticis, et illa commentaria non creduntur esse Ambrosii, ut notat Bellarminus, tomo 3, libro 4 De amissione gratiae, c.3, col.2⁴⁷.

5^o PROBATUR, quia Paulus ad Romanos 5 satis indicat peccatum Adami transire ad posteros necessitate quadam sine personali voluntate posterorum imitantium; sed clarius hoc tradit ad Ephesios 2 [3] dicens: *eram et nos aliquando natura filios irae sicut et caeteri*, id est a nativitate, ut recte Contra Iulianum, l.6, c.4, ponderat D. Augustinus⁴⁸, ostendens ita esse [f.405v] legendum.

6^o ARGUMENTATUR Augustinus, 1 De peccatorum meritis, c.12⁴⁹, quia si de imitatione loqueretur Apostolus, sequeretur omnia peccata aut certe plurima ad nos ab Adamo transiisse; at vero Apostolus non nisi unum peccatum dicit transiisse ad omnes in condemnationem; et gratiam Christi Domini ideo abundantiore fuisse quia ex multis delictis, videlicet non solum originalibus sed etiam personalibus, nos transtulit in iustificationem. Sicque Ambrosius⁵⁰ explicat illa verba *et non sicut per unum peccatum ita et donum*, nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem, ubi ut servetur debitus ordo in antithesi debemus sub-

⁴⁵ PEDRO LOMBARDO, 2 *Sententiarum*, d.30, c.10: Quaracchi 1916 p.465; AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum ad Marcellinum libri tres*, l.1, c.9, n.10 et c.10, n.11: PL 44 115s

⁴⁶ AMBROSIO, *Commentaria in XII epistolas Beati Pauli*, c.5, v.12: PL 17 96.

⁴⁷ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, l.4, c.3: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.334.

⁴⁸ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.6, c.4: PL 44 841.

⁴⁹ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, l.1, c.12: PL 44 117.

⁵⁰ AMBROSIO, *Commentaria in XII epistolas Beati Pauli*, c.5, v.16: PL 17 102.

intelligere *ex uno delicto in condemnationem*, ut respondeat sequentibus verbis *ex multis delictis in iustificationem*, quem sensum valde confirmant verba sequentia: *si enim unius delicto mors regnavit per unum multo magis* etc.; et paulo post: *igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*.

7^o urget Augustinus, 1 De peccatorum meritis, cap.9⁵¹, quia non solum ad Romanos, sed etiam 1 Cor 15 [22], peccatum Adami derivatur ad posteros sicut Christi Domini iustitia ad regeneratos; sed iustitia Christi transfunditur ad nos non solum imitatione sed etiam propagatione quadam ex opere operato in baptismo et aliis sacramentis; ergo Adami peccatum non sola imitatione transfunditur.

Denique monere oportet in expositione huius loci ad Romanos valde favere haereticis Theodoretus in id Ps 50 [7] *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, et manifestius in c.5 ad Romanos, ubi postquam explicuit Adami culpam ea ratione transire ad posteros quatenus propter illam omnes mansimus mortales atque adeo subiecti perturbationibus corporis et animae, subdit haec verba: *ad omnes enim homines mors pertransiit quatenus omnes peccaverunt, non enim propter primi parentis peccatum sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit*⁵². Idem innuit D. Chrysostomus in c.5 ad Romanos⁵³. — Sed de Chrysostomo dicendum erit statim. Nunc autem Theodoretii testimonium, vel non est admittendum utpote quod ipse libentissime revocaret si vidisset Ecclesiae et Patrum decreta de originali, vel exponendum est ut velit eos pueros qui pro originali puniuntur non puniri pro culpa solius parentis sed pro culpa originali sibi propria et inhaerente, ut dicemus infra, dubio 3, a.1.

RESPONDEBANT 2^o pelagiani Apostolum ad Romanos 5 solum docere *mortem corporis et similes poenas* ad nos devenisse propter peccatum Adami, *non autem peccatum ipsum*. Haec espositio videtur expresse Chrysostomi, homilia 10 ad Romanos, in id: *sicut enim per inoboedientiam unius hominis peccatores multi*

⁵¹ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, 1.1, c.9: PL 44 117.

⁵² THEODORETUS, *Interpretatio Epistolae ad Romanos*, c.5,12: PG 82 99.

⁵³ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Rom.*, hom.10: PG 60 477s.

*effecti sunt*⁵⁴, et homil. 39 in id Cor 15 in *Adam omnes moriuntur*, mortem inquit corporis non gehennae⁵⁵, et idem videtur docere Theodoretus in Epitome divinorum decretorum, cap.11, de servatoris dispensatione⁵⁶.

Verumtamen mens D. Chrysostomi constat ex aliis locis ubi aperte fatetur originalem culpam, [f.406] nam ad Romanos 5 ait *Adami peccatum infecisse totum mundum et eos qui baptizantur mori peccato*⁵⁷, et Homilia 40, in capite 15 prioris ad Corinthios ait *Deum solum a peccato liberare quod in regenerationis lavacro facit, mentem tangit, hinc radicale peccatum evellit*⁵⁸, et hom.1 ad Neophytos⁵⁹, et homilia de Adamo et Eva⁶⁰, et in id Ps 55 [57,4] *alienati sunt peccatores a vulva*.

Quare, loca quibus oppositum innuit explicanda sunt ut tantum velit ex peccato Adami nullam in posteris manere culpam personalem. Et forte originalem propterea noluit appellare culpam quia hoc nomen restrinxit ad praecipuum analogatum seu speciem culpae, scilicet ad actualem. — Vel certe docet Chrysostomus peccatum Adami nos constituere peccatores, non prout fuit tantum in Adamo sed prout nos in Adamo peccavimus, et inde contraximus culpam, ut supra explicuimus Theodoretum.

Ex pluribus testimoniis Chrysostomi, eius mentem colligit et explicat Augustinus, 1^o Contra Iulianum, c.7 post medium⁶¹; D. Thomas, De malo, q.4, a.2, § ultimo⁶², et a.1, corpore⁶³;

⁵⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Rom.*, hom.10: PG 60 477s.

⁵⁵ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil.39 in ep.1 ad Cor*: PG 61 337.

⁵⁶ TEODORETO DE CIRO, *Haereticarum fabularum compendium*, 1.5, c.11, De servatoris incarnatione: PG 83 491.

⁵⁷ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Rom.*, hom.10: PG 60 480.

⁵⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil.40 in ep.1 ad Cor*, c.15: Venecia 1574, p.226, col.3; PG 61 349.

⁵⁹ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Hom. ad Neophytos*: Paris 1588, t.5, col.521.

⁶⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. de Adam et Eva*: Paris 1588, col.445ss.

⁶¹ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum*, 1.1, c.7: PL 44 663s.

⁶² S. THOMAS, *De malo*, q.4, a.2, § ultimo: ed.leon. 23, 114.

⁶³ S. THOMAS, *De malo*, q.4, a.1 c: ed.leon. 23, 105.

Sixtus Senensis, libro 6, adnotatione 236⁶⁴; Bellarminus, tomo 3, libro 4 De amissione Gratiae, c.9⁶⁵; Medina, q.81, a.1, col.5 et 6, et columna antepenultima⁶⁶, ubi Zumel, disp.2 prope finem⁶⁷. Qui auctores, et praesertim Bellarminus⁶⁸, explicant praeterea Theodoretum, Clementem Alexandrinum, Arnobium et Ambrosium, qui pelagianis favere videbantur. Denique, Hugo cui error idem adscribebatur, explicatur bene ab Alexandro, 2 p., q.122, mem.2, argumento 3⁶⁹.

Sit ergo 3^a CONCLUSIO: *peccatum quod ab Adamo contrahimus non est sola poena sed veram habet rationem culpae.*

Haec conclusio ex fundamentis 2^{ae} conclusionis, et praeterea expresse definitur in Tridentino, sess.5, c.3, [2,] his verbis: *Si quis Adami praevaricationem sibi soli et non eius propagini nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam quam perdidit, sibi soli et non nobis eum perdidisse, aut inclinatum [inquinatum] illum per inoboedientiae peccatum mortem et poenam corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum quod mors est animae, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti ad Rom 5: per unum hominem peccatum in mundum intravit*⁷⁰. Idem aperte docet Arausicanum II, canone 2⁷¹. Et alia Concilia, licet non adeo expresse, semper tamen constanter affirmant nobis haerere peccatum ex Adamo

⁶⁴ SIXTUS SENENSIS, *De annotationibus et censuris in interpretes et expositores divinorum Novi Testamenti voluminum BIBLIOTHECAE SANCTAE, liber sextus*, a.236: Napoles 1742, tomo 2, p.892-895.

⁶⁵ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.9: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.354.

⁶⁶ BARTHOLOMEUS MEDINA, *Expositio in Primam Secundae D. Thomae Aq.*, q.81, a.1: Venecia 1602, p.427a, 429a.

⁶⁷ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V. DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.81, a.1, d.2: Salamanca 1594, p.529a.

⁶⁸ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.9: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.354.

⁶⁹ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.2, art.1: 1516, fol.258a.

⁷⁰ Dz-Sch 1512.

⁷¹ Dz-Sch 372.

contractum, quod Baptismi expiatione indiget. Ita Milevitanum, canone 2 de consecratione, distinctione 4, cap. *Placuit ut quicumque parvulos*⁷². Toletanum VI, can. 77⁷³; Iliberitanum, can.45⁷⁴, et expressius Moguntinum, can.5, distinguens culpam originalem a poena inde resultante; et Cartaginense, can.6 de consecratione, d.4, cap. *placuit el primero*⁷⁵; et Florentinum in litteris unionis⁷⁶.

Idem docent Patres communi consensu. Augustinus omnibus libris Contra Iulianum, praesertim libro 1, cap.7, et apud illum Irenaeus et alii Patres⁷⁷; Tertulianus, libro 1 Contra Marcionem⁷⁸; Cyprianus, epistola 8 ad Phidum⁷⁹; Hilarius ad illum versiculum Ps 118 [175] *vivet anima mea et laudabit te*⁸⁰; Ambrosius, in Apollonia [f.406v] cap.11⁸¹, et 2 De vocatione gentium, cap.8⁸²; auctor commentariorum in epistolas Pauli quae inscribuntur Ambrosii, cap.5 ad Rom⁸³, et cap.4 ad Hebraeos; Hieronymus, libro 3 Contra pelagianos⁸⁴; Basilius, in id Ps 32 [5] *misericordia Domini plena est terra*⁸⁵; Origenes, homilia 8 in Leviticum⁸⁶; Gregorius, 1 Regum 15 [33], in id *sicut fecit*

⁷² Dz-Sch 223.

⁷³ Dz-Sch 491.

⁷⁴ Conc. Elvira, canon 45; ed.J.Vives 1963, p.9.

⁷⁵ Dz-Sch 222; c.6 D 4, De consecratione: Friedberg I, col.1363.

⁷⁶ Dz-Sch 1316.

⁷⁷ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.1, c.7: PL 44 662.

⁷⁸ Q. SEPT. FLOR. TERTULLIANUS, *Adversus Marcionem libri quinque*, 1.1, c.28: PL 2 305.

⁷⁹ Cf. PL 4 369.

⁸⁰ HILARIO DE POITIERS, *Tractatus in CXVIII Psalmum*: PL 9 641.

⁸¹ AMBROSIO, *Apologia prophetae David*, c.11: PL 14 914s.

⁸² Cf PL 17 1167. PRÓSPERO DE AQUITANIA, *De vocatione gentium*, 1.2, c.8: PL 51 693.

⁸³ Cf AMBROSIO, *Commentaria in Epistolam ad Romanos*, 5,12: PL 17 96s.

⁸⁴ JERÓNIMO, *Dialogus adversus pelagianos*, 1.3: PL 23 615s.

⁸⁵ BASILIO, OB. DE CESAREA DE CAPADOCIA, *Homilia in Ps. 32*: PG 29 331.

⁸⁶ ORIGENES, *Homilia VIII in Leviticum*: PG 12 495s.

*mulieres absque liberis gladius tuus*⁸⁷; Fulgentius, De incarnatione, c.14⁸⁸; Gregorius Nacianzenus, sermone de Nativitate⁸⁹; Innocentius I, epistola ad Synodum Carthaginensem⁹⁰; Innocentius III, capite *Maiores, de baptismo*⁹¹; Leo I, epist. 86⁹²; Bernardus, sermone de Passione Domini⁹³.

Eandem sententiam minus aperte tradit D. Dionysius, De ecclesiastica Hierarchia, cap.3, dum lapsum et praevaricationem humanae naturae commemorat⁹⁴, et alibi dum ritus baptismi exponens dicit exsulari habitum dissimilitudinis hominibus ingentum⁹⁵; quam ut definitionem originalis peccati exposuit Turrianus integro opusculo⁹⁶; idem docuit Ignatius in epistola ad Trullanos, et vocat antiquam impietatem⁹⁷; colligitur praeterea ex Iustino in dialogo cum Tryphone⁹⁸.

2º PROBATUR CONCLUSIO ex vi verborum Pauli ad Romanos et Sacrae Scripturae aliis in locis infra citandis, ubi absolute admittitur peccatum ex Adamo contractum, et nos esse peccatores, et nomen peccati culpam proprie sonat et ita debet intelligi ubi sine inconvenienti potest et ubi Ecclesia ita intelligit. Et huic

⁸⁷ GREGORIUS MAGNUS, *In librum primum Regum, qui et Samuelis dicitur, variarum expositionum libri sex*, 1.6, 24s [In 1 Re 15 33] : CCL 144 581; PL 79 442.

⁸⁸ FULGENCIO DE RUSPE, *De Incarnatione et gratia Domini nostri Iesu Christi ad Petrum Diaconum et alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt*: Lión, 1622, p.184; PL 65 581.

⁸⁹ DIVI GREGORII NAZIANCENI COGNOMENTO THEOLOGI, *Opera omnia*, In Christi Nativitatem oratio panegyrica: Antverpiae 1570, p.336; PG 36 315.

⁹⁰ PL 20 586.

⁹¹ Dz-Sch 780.

⁹² LEÓN MAGNO PAPA, *Epistolae decretales ac familiares*, epist.86, ad Nicetam Aquilensem episcopum: Lovaina 1575, p.270s.

⁹³ BERNARDO, *Sermo de vita et Passione Domini*: PL 184 955.

⁹⁴ PSDIONYSIUS, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 3 439s.

⁹⁵ PSDIONYSIUS, *De ecclesiastica hierarchia*, c.2: PG 3 402.

⁹⁶ TURRIANUS (FRANCISCO DE TORRES), SI, *De definitione propria peccati originalis... et de Conceptione Virginis et Matris Dei sine peccato...*: Salamanca 1582.

⁹⁷ IGNACIO DE ANTIOQUÍA, *Epistola ad Trullanos*: PG 5 787.

⁹⁸ JUSTINO, *Dialogus cum Tryphone judaeo*: Cf v.c. PG 6 766.

intellectui consonant parabola Evangelii de ove et drachma perdita et de homine qui incidit in latrones, Lucas 10 et 15, quibus significatur totam humanam naturam semel fuisse infectam et vulneratam ut sancti omnes intelligunt.

3^o URGET D. Augustinus, libro 3 Contra Iulianum, cap.3 et 5, et libro 6, cap.4⁹⁹, et D. Fulgentius, De Incarnatione, c.14¹⁰⁰, quia etiam adversarii fatentur in omnes homines transire supplicium pro culpa primi parentis et omnes vere puniri; at vero punitio seu poena proprie non est nisi pro culpa; ergo vere reperitur in hominibus culpa ex Adami inoboedientia dependens. Vide quae dicemus post conclusionem 5.

CONFIRMATUR 1^o, quia cum dicitur Ephes.2 [3] *eram^{us} natura filii irae*, manifeste ostenditur non solum poena sed etiam culpa: illa enim non est nisi propter acceptam iniuriam.

CONFIRMATUR 2^o, quia licet nomen *peccatum* aliquando metonymice accipiatur pro poena, nihilominus verbum *peccare* non nisi violenter exponi potest ut significet puniri aut mortalem fieri, et nullum testimonium Sacrae Scripturae confirmat hanc explicationem.

CONFIRMATUR 3^o, quia Paulus ait peccatum intrasse in mundum et per peccatum mortem; prius ergo hominum genus peccatum quam mors pervasit; alioqui sensus esset satis absurdus, videlicet: mors intravit per mortem. Unde Concilium Arausicanum II, can.2, inquit *iniustitiam Deo dare convincitur* qui mortem quae est poena peccati sine peccato quod est meritum mortis ad nos transiisse dicitur¹⁰¹, unde D. Fulgentius citatus: *quomodo*, inquit, *parvulum videmus morte punitum si non sensit aculeum, videlicet, peccatum*¹⁰². Facit etiam illud Eccli 25 [33] *a muliere factum est initium peccati et per illam omnes moriuntur*.

4^o PROBATUR, quia nisi concedamus originale peccatum, non potest Christi Domini asseri propitiator et redemptor omnium

⁹⁹ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.3, c.3: PL 44 706; 1.3, c.5: PL 707; 1.6, c.4: PL 825.

¹⁰⁰ FULGENCIO DE RUSPE, *De Incarnatione Filii Dei*, c.14: PL 65 581.

¹⁰¹ Dz-Sch 372.

¹⁰² FULGENCIO DE RUSPE, *De Incarnatione Filii Dei*: cf PL 65 593.

hominum; parvuli enim non habebunt culpam a qua redimantur; at vero in ordine ad peccata asseritur Christum Dominum esse redemptorem, ut constat ad Titum 2 [14], *ut nos redimeret ab omni iniquitate*, et alibi saepe. Praeterea Christi *propitiationem esse non solum pro peccatis [f.407] nostris, sed etiam pro totius mundi* asseritur 1 Ioannis 2 [2]. Facitque illud Iob 14 [4], *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine*, quod D. Augustinus, libro 5 Hipognosticon intelligit de originali¹⁰³, et ad Romanos 3 [23], *omnes peccaverunt et egent gloria Dei* et Gal 3 [22], *concluit Sacra Scriptura omnia sub peccato ut omnium misereatur*, scilicet demonstravit Sacra Scriptura omnes esse sub peccato ut hoc agnoscentes misericordiam consequerentur¹⁰⁴.

CONFIRMATUR 1^o, quia ut magis indicetur a quo peccato Christus liberet omnes, etiam infantes, dicitur Joanne 1 [20], *ecce qui tollit peccatum illud mundi*, ut in graeco legitur¹⁰⁵ et vertunt biblia complutensia, et ex graecis legit Irenaeus, libro 3, cap.11¹⁰⁶, Theophilactus, super Joanne¹⁰⁷; et ex latinis Cyprianus, libro De duplici martyrio¹⁰⁸, et Augustinus 12 Contra Faustum, c.30¹⁰⁹. Et quamvis cum Vulgata et aliis Patribus legamus in plurali *peccata*, potest idem sensus retineri quatenus peccatum originale, ut radix, virtute continet reliqua peccata; unde David, Ps 50 ait *ecce in iniquitatibus conceptus sum*. Pertinet ad eandem sententiam illud Ioannis 3 [18], *qui non credit in Filium ira Dei manet super eum*, quasi iam ante infidelitatem fuerit ira Dei super eum, ut notat Augustinus, libro 6 in Iulianum, c.12¹¹⁰.

CONFIRMATUR 2^o, quia Christi redemptio ordinata est

¹⁰³ AGUSTÍN, (Appendix) *Hypomnesticon contra pelagianos et coelestianos*, 1.5, c.4: PL 45 1652.

¹⁰⁴ AGUSTÍN, *Epistolae ad Galatas expositionis liber unus*: PL 35 2123s.

¹⁰⁵ THN 'AMARTÍAN TOU KOSMOU

¹⁰⁶ IRENEO, *Contra haereses libri quinque*, 1.3, c.11: PG 7 874.

¹⁰⁷ TEOFILACTO, *Ennarratio in Evangelium Ioannis*, 1,29: PG 123 1171s.

¹⁰⁸ CIPRIANO, *De duplici martyrio*, VIII: PL 4 966.

¹⁰⁹ AGUSTÍN, *Contra Faustum manichaeum*, 1.12, c.30: PL 42 270.

¹¹⁰ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.6, c.12: PL 44 869s.

praecipue ad remedium originalis, ut late confirmat Caius Papa, epistula ad Felicem episcopum, et Leo Papa, epistula 82 ad palestinos episcopos, cap.3¹¹¹, et epistola 97 ad Leonem Augustum, cap.2¹¹²; et D. Thomas, 3 p., q.1, a.4¹¹³. Vide Doctores scholasticos, ubi de Incarnationis necessitate.

5^o PROBATUR, quia non solum in lege gratiae sed etiam in lege scripta et lege naturae necessarium fuit aliquod remedium quo deleretur originale peccatum et sine quo parvuli non possent admitti in regnum coelorum, a quo nemo exulat nisi propter peccatum; quod autem in lege naturae, propter originale delendum, necessarium fuerit parentum fidem parvulis applicari, docet D. Augustinus, 5 Contra Iulianum, c.9¹¹⁴; et 2 De nuptiis, c.12¹¹⁵; et 2 De peccatorum meritis et remissione, c.9¹¹⁶; et clarius libro De cardinalibus operibus Christi, capite de Circumcisione Christi, qui liber adscribitur Cypriano¹¹⁷; idem colligitur ex Cypriano, De baptismo, c.13¹¹⁸; Gregorio, 4 Moralium, c.2 et 3¹¹⁹; Bernardo, epist. 77¹²⁰; Beda, 2 in Lucam, c.8¹²¹; Hugo, 1 De sacramentis, p.12, c.3 et 6, et p.9, c.5¹²²; idem sentiunt communiter Scholastici, 4, d.1 et 2; et 3 p., q.61, a.3 et

¹¹¹ LEÓN MAGNO PAPA, *Epistolae decretales ac familiares*, epist. 83 ad palestinos episcopos: Lovaina 1575, p.252.

¹¹² LEO MAGNUS, *Epistolae decretales ac familiares*, epist. 97 ad Leonem Augustum, cap.2: Lovaina 1575, p.435; PL 54 1161.

¹¹³ S. THOMAS, 3 p., q.1, a.4: ed.leon. 11, 17.

¹¹⁴ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.5, c.12: PL 44 809s.

¹¹⁵ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, 1.2, c.12: PL 44 450.

¹¹⁶ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, 1.2, c.9: PL 44 158.

¹¹⁷ D. CAECILII CYPRIANI CARTHAGINIENSIS EPISCOPI, TOTIUS AFRICAE PRIMATI ET GLORIOSISSIMI MARTYRIS *Ad Cornelium Papam, De cardinalibus operibus Christi*, c. De ratione Circumcisionis: Opera, Amberes 1589, p.407.

¹¹⁸ Cf Ibidem, c. De Baptismo Christi et manifestatione Trinitatis, p.410a.

¹¹⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.4, c.2 y 3: CCL 143 160; PL 75 635.

¹²⁰ BERNARDUS, *Epistola 77*: Opera omnia, Amberes 1620, col.1456.

¹²¹ Cf. PL 92 336s.

¹²² HUGO DE S. VICTORE, *De Sacramentis*, libro 1, p.12, c.3 y 6: PL 176 351-354; p.9, c.5: PL 176 323ss.

4. Vide Suarez, tomo 3, disp.4, secc.1 et 2¹²³.

Quare, non poterit sine temeritate negari remedium originalis in lege naturae. In lege autem scripta circumcisio data fuit in remedium originalis peccati, quod, quamvis negare videantur plerique antiquorum Patrum qui finem instituendae circumcisionis assignant fuisse congregare populum Dei et segregare a reliquis gentibus per specialem et exteriorem professionem fidei venturi Christi ex genere Israel, et docere videntur per circumcisionem non fuisse collatam gratiam. Cuius sententiae auctores extant apud Suarez, 3 tomi, disp.5, secc.1 in 1^a sententia¹²⁴. — Nihilominus iam non potest [f.407v] sine aliqua temeritate negari quin circumcisionis finis inter alios supra dictos fuerit ut esset in remedium originalis peccati, quod primus docuit Augustinus, 3 Contra Iulianum, c.18¹²⁵ et libro 5, c.9¹²⁶; et 15 De civitate, c.16¹²⁷; et libro 16, c.27¹²⁸; et alibi saepe. Deinde Gregorius, 4 Moralium, c.2 et 3¹²⁹; et habetur capite *Quod autem de consecratione*, d.4¹³⁰; Prosper, in epist. 84 quae inscribitur Ambrosii; Isidorus, in Genesim, c.13¹³¹; Bernardus, sermone 3 de Circumcisione¹³², et sermone 2 de Assumptione circa fi-

¹²³ FRANCISCO SUÁREZ, *In quartam partem D. Thomae*, Disp. 4 De institutione et necessitate sacramentorum legis naturae, sect.1 y 2: ed. Vivès 20, p.65-71.

¹²⁴ FRANCISCO SUÁREZ, *In quartam partem D. Thomae*, Disp. 5 De institutione et necessitate circumcissionis..., sect.1, sent.1: ed. Vivès 20, p.78-80.

¹²⁵ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagiana defensorem, libri sex*, 1.3, c.18: PL 44 720.

¹²⁶ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagiana defensorem, libri sex*, 1.5, c.9: PL 44 809.

¹²⁷ AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.15, c.16: CCL 48 478s, PL 41 459.

¹²⁸ *Ibid*, 1.16, c.27: CCL 48 532; PL 41 506.

¹²⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.4, c.2 y 3: CCL 143 160; PL 75 635.

¹³⁰ c.5, D.4 De consecratione: Friedberg I 1362.

¹³¹ ISIDORUS HISPALENSIS, *Quaestiones in Vetus Testamentum: In Genesim*, c.13: PL 83 242.

¹³² BERNARDUS, *Sermo 3 de Circumcisione Domini de die octavo: Opera*

nem¹³³; Beda, 2 in Lucam c.8¹³⁴, et homilia de Circumcisione¹³⁵; Innocentius, capite *Maiores de baptismo*¹³⁶; et communiter Theologi, 4, d.1, et 2, et 3 p., q.61, a.3.

Praecipuum fundamentum sumitur ex illis verbis, Genesis 17 [14] *masculus cuius praeputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*. Quem locum non solum de adultis sed etiam de infantibus post octavum diem intelligendum esse indicant verba quae praecedunt in eodem capite, et explicuit magis editio LXX, addens *octavo die*. Quo supposito, cum infantes non possint puniri propter culpam commissam in transgressionem pacti circumcisionis, necessarium est puniri propter culpam originalem ratione cuius omnes in Adam peccaverunt. Igitur omissa circumcisione propterea peribant parvuli illius populi quia non fuit illis applicatum remedium originalis transgressionis; quapropter non solum Augustinus sed etiam Isidorus et Beda citati, in eo loco intelligunt non pactum circumcisionis sed pactum initum cum Adamo, ad quod D. Hieronymus refert illa verba Oseae 6 [7] *sicut in Adam transgressi sunt pactum meum*¹³⁷.

Denique baptismi necessitatem ut parvuli abluantur ab originali culpa testantur Concilia et Patres locis supra citatis post conclusionem 3. Et in hac probatione 5 vide Bellarminum, tomo 2 Controversia de Baptismo, libro 1, a capite 8¹³⁸, et tomo 3 De amissione gratiae et statu peccati, [libro 4,] capite 7¹³⁹, ubi hac acute et graviter colligit ex forma, nominibus et ceremoniis

omnia, Amberes 1620, col.71.

¹³³ BERNARDUS, *Sermo 2 de Assumptione beatae Mariae*: Opera omnia 1620, col.251.

¹³⁴ Cf. PL 92 336s.

¹³⁵ BEDA, *Homilia in die festo Circumcisionis Domini*: PL 94 54.

¹³⁶ Dz-Sch 780.

¹³⁷ HIERONYMUS, *Commentariorum in Oseam Prophetam*, c.6, v.6: PL 25 911s.

¹³⁸ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de Sacramentis in specie, liber primus, de Sacramento Baptismi*, c.8: ed.Vivès 1870, tomo 3, p.536.

¹³⁹ ROBERTUS BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.7: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.345.

baptismi.

6º PROBAT Origenes, homilia 8 in Leviticum¹⁴⁰, quia sancti conqueruntur de die suae conceptionis quod non facerent ratione naturae sed ratione culpae, quod ponderat Gregorius, 4 Moralium, c.5, exponens illud Iob 3 [3] *pereat dies in qua natus sum*¹⁴¹, cui simile est illud Ieremiae 20 [14] *maledicta dies in qua natus sum*, et huc referri possunt verba Ps. 50 [7] *ecce in iniquitatibus conceptus sum*, quae non possunt accipi ut dicta propter peccata quae parentes eius in conceptione commiserant, tum quia ex legitimo matrimonio natus erat, quod notavit Rufinus in commentario eiusdem Psalmi¹⁴², et D. Thomas, 4 Contra Gentiles, c.50¹⁴³, tum quia ibi David non accusat peccatum alienum sed agnoscit proprium, ut Deum ad misericordiam flectat; loquitur ergo de originali, ut ibi exponunt Hieronymus¹⁴⁴ et Augustinus qui, libro [f.408] 5 Hypognosticon, explicans id Eccli 40 [1] *grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum: quod est —inquit— hoc grave iugum nisi peccatum, et quare dictum est iugum nisi quia ex duobus Adam et Eva venit ut duorum premat et conterat colla, id est masculi et foeminae*¹⁴⁵.

7º, denique PROBATUR, quia ut singulare privilegium Christi Domini traditur illum fuisse natum sine originali, unde D. Leo, sermone 1 De Nativitate ait *alienum quippe ab hac nativitate est quod de omnibus legitur, nemo mundus a sorde nec infans cuius est unius diei vita super terram*¹⁴⁶. Vide Gregorium in eadem

¹⁴⁰ ORIGENES, *Homilia VIII in Leviticum*: PG 12 495s.

¹⁴¹ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.5, [in Iob 3,3]: CCL 143 166; PL 75 639s.

¹⁴² Atribuido a RUFINO DE AQUILEYA, *Commentarius in LXXV Psalmos*, Ps 50, v.7: PL 21 850s. La obra es de Heriberto de Insulis, abad de S. Rufo: cf CPL p.66.

¹⁴³ S. THOMAS, *Summa contra gentiles*, 1.4, c.50: ed.leon. 15, 159.

¹⁴⁴ HIERONYMUS, (Appendix) *Breviarium in Psalmos*, Ps 50: PL 26 1031.

¹⁴⁵ (AUTOR INCIERTO, POCO POSTERIOR A SAN AGUSTÍN,) *Hypomnesticon contra pelagianos et caelestianos, vulgo libri Hypognosticon*, 1.5, c.3: PL 45 1650. Cf CPL n.381.

¹⁴⁶ LEO MAGNUS PAPA, *Sermones*, In Nativitate sermo 1: Lovaina 1577, p.55s; PL 54 191.

verba, 17 *Moralium*, c.10¹⁴⁷; et Augustinum in Ps 50¹⁴⁸. Similiter etiam, ut singulare privilegium, traditur Lucae 1 [15] et Ieremiae, 1 [5], Ioannem et Hieremiam sanctos fuisse ante nativitatem, quod indicat alios omnes concipi sine gratia ac proinde in peccato, quia in natura humana iam evecta ad gratiam non datur status medius inter peccatum et gratiam.

4^a CONCLUSIO: *error est fidei contrarius dicere originale non esse proprie peccatum aut non esse proprie culpam imputabilem aut non inesse in singulis hominibus propriam et peculiarem culpam distinctam a culpa alterius.*

In quem errorem lapsi sunt sine pertinacia plures doctores catholici, et in primis Albertus Piggius¹⁴⁹, *Controversia 1 de originali*, et Catherinus¹⁵⁰, opus *De lapsu hominis et peccato originali*, disputatione 5 et sequentibus. Dicebant nihil esse in parvulis quod haberet veram peccati rationem sed peccatum originis esse unum tantum commissum a primo parente et nobis imputandus ad poenam. Horum sententiam explicat Taper, a.2 *Contra Lutherum § Ex his videmus*, pag.10 et 11¹⁵¹. Et probat ex Concilio Arausicano et Tridentino dicentibus peccatum originale esse mortem animae; sed mors animae est effectus peccati et non peccatum; ergo peccatum originale non est proprie peccatum. Huic argumento RESPONDEO mortem animae esse formaliter peccatum habituale, licet sit effectus peccati actualis, ut dicitur infra dubio 6 et 7, et quidem ipse Taper prius, pag 47, et postea pag.87 et 88 in propositione 7, 8 et 9, de originali videtur recte et catholice sentire quod originale parvulis inhaerens sit proprie culpa habitualis licet non sit actualis¹⁵².

¹⁴⁷ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium*, l.17, c.10: PL 76 21.

¹⁴⁸ AGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps 50, v.7: PL 36 591.

¹⁴⁹ PIGHIUS, ALBERTO, teólogo católico m.1542.

¹⁵⁰ CATHERIN OP, AMBROSIO, m. Nápoles 1553.

¹⁵¹ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum venerandae facultatis sacrae theologiae generalis studii lovaniensis*, Art.2, § *Ex his videmus*: Lovaina 1555, p.71ss.

¹⁵² RUARDUS TAPPER, *Explicationis articuloru... lovaniensis*, Art . 2 , prop.7,8,9: Lovaina 1565, p.127s.

Nec minus turpiter errat Osorius in libro 7 de Iustificatione, ante medium, affirmans originale esse peccatum, id est, errorem, sed tamen nulla ratione voluntarium et imputabilem, et propterea non esse culpam. Et post longam ratiocinationem concludit hoc tantum fore discrimen inter Adami posteros et hominem qui immediate a Deo crearetur sine Gratia, quod quamvis uterque erroribus et depravatis inclinationibus sordesceret, nihilominus Adami posterius hanc labem patiuntur ut poenam sceleri primi parentis irrogatam sed alterius hominis creati in puris naturalibus labes fuisset naturalis, utpote naturam gratia nudam necessario consequens. [f.408v]

Ab hoc errore non multum dissidet uterque Guillelmus: Parisiensis, in tractatu de vitiis et peccatis, cap.3¹⁵³, et Altissiodorensis, lib.2, tract.27¹⁵⁴, nam licet voce dicant certum esse peccatum originale retinere propriam et veram rationem peccati, in re tamen negant, quia negant imputabilitatem, ut dicemus dubio 2 post conclusionem 1^{am}.

Eadem ratione reprehendendus est Durandus, 2, d.30, q.2 corpore, qui, licet praemittat mentem suam esse non negare nisi eam rationem culpae quae privata et personali voluntate imputatur, sed postea, dum verbis ambiguis et suspectis utitur, ostendit se dubitare utrum sit proprie culpa quae non imputatur nisi propter voluntatem capit¹⁵⁵.

Duae sunt partes huius conclusionis. Altera: *peccatum originale est proprie et vere culpa*. Altera: *peccatum originale est unicuique homini proprium et peculiare*. Et utraque pars definitur in Tridentino, sess. 5^a, nam § 3 decernitur hoc peccatum esse *unicuique proprium*, et § ultimo decernitur per baptismi gratiam remitti parvulis *totum id quod veram et propriam culpae rationem habet*; supponit ergo Concilium in originali esse veram et

¹⁵³ GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARIISIENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.3: Opera omnia, Ambiani 1674, t.1, p.263.

¹⁵⁴ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *Summa Aurea*, 1.2, tract.27, c.1: (Incunable de la B. Vatic.) fol.97v.

¹⁵⁵ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.30, q.2, c: Amberes 1566, fol.182, n.9.

propriam et rationem culpae.

CONFIRMATUR 1^o, quia Tridentinum asserit *originale peccatum remitti*, non esse *non imputari*, sed vere *tolli*; ergo antea vere inerat peccatum singulis. CONFIRMATUR 2^o, quia Concilium non damnaret novos pelagianos si sentiret originale in nobis solum habere rationem poenae, cum hoc ab illis concedatur. Vide quae dicemus infra, dubio 13.

2^o PROBATUR conclusio, quia omnia testimonia Sacrae Scripturae, Conciliorum et Patrum adducta pro conclusione 3 probant in originali esse rationem culpae ut distinguitur et ut est radix et causa poenae, qua, propter culpam digni sumus. Et probant ratione huius culpae singulos quosque homines nasci dignos ira et odio et inimicos Dei; ergo peccatum hoc est proprie peccatum et singulis infantibus peculiare. Sed hoc magis expresse et ex professo docet Anselmus, De conceptu virginali, cap. 3 et sequentibus¹⁵⁶; et Augustinus, 3 De peccatorum meritis, c.8¹⁵⁷, et lib. 6 In Iulianum, c.4, et c.12¹⁵⁸; et Gregorius, 13 Moraliū, c.22¹⁵⁹.

Quod si Augustinus, libro 3 Contra Iulianum, c.5¹⁶⁰, et alibi loquitur de peccato originali quasi de poena resultante ex aliena voluntate, accipiendum est ut qui causam explicat per effectum; et in libro 16 De Civitate, c.27¹⁶¹, dicens secundum fidem pueros nasci non proprie sed originaliter peccatores, intelligendum est ut non sit culpa personali voluntate sed communi voluntate naturae, quem Augustini intellectum colligo ex apertis testimoniis eiusdem de veritate culpae originalis, locis superius citatis.

Et quod Anselmus, libro de Conceptu Virginali, c.24 ait

¹⁵⁶ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.3ss: PL 158 435ss.

¹⁵⁷ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, 1.3, c.8: PL 44 194.

¹⁵⁸ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.6, c.4: PL 44 826; c.12 PL 870.

¹⁵⁹ GREGORIUS MAGNUS, *Moraliū libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.13, c.22: CCL 143A 682; PL 75 1028.

¹⁶⁰ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.3, c.5: PL 44 707s.

¹⁶¹ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.16, c.27: CCL 48 532, PL 41 506.

*peccatum originale esse idem in omnibus*¹⁶², manifeste significat esse eiusdem rationis et aequale in omnibus [f.409] quamvis in singulis sit peculiare, diversum a peccato Adami, ut idem doctor testatur saepe in eodem opusculo, et constat ex contextu illius et praecedentis capitis.

5^a conclusio: *peccatum originale ratione non potest efficaciter probari.*

Hanc conclusionem statuere necessarium duxi propter aliquos doctores qui originale peccatum probare conantur ex defectibus quos experimur in animis et corporibus nostris sive erroris sive propensionis ad bona creata sive rebellionis qua sensualitas rationi resistit sive morborum mortis et aliarum calamitatum. Quibus argumentis valde nititur ut efficacibus Guillelmus, tractatu de vitiis et peccatis, c.2¹⁶³; et D. Bonaventura, 2, d.30, a.1, q.2¹⁶⁴, aperte innuens potuisse cognosci originale peccatum a philosophis si animadverterent modum quo anima debet esse ordinata in Deum amando illum supra omnia. Eisdem argumentis utitur Albertus, 2 p., q.107, mem.1, in argumentis *Sed contra*, quae in fine illius membri ait *procedere secundum fidem catholicam*¹⁶⁵; et Alexander, 2 p., q.122, mem.1, in argumentis *Sed contra*¹⁶⁶; Catherinus, libro de peccato originali, disputatione quae incipit *Venio ad rationes*; atque eodem modo procedunt aliqui iuniores qui scripsere exhortationes ad virtutem, quibus favere videntur D. Augustinus, 3 Contra Iulianum, c.3 et 4¹⁶⁷,

¹⁶² ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.24: PL 158 459.

¹⁶³ GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.2: Opera omnia, Ambiani 1674, t.1, p.261s.

¹⁶⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.1, q.2: ed Quaracchi, 2, p.719.

¹⁶⁵ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.1: ed. Vivès t.33, p.286 (secundum veritatem Catholicam).

¹⁶⁶ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.1: 1516, fol.257.

¹⁶⁷ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.3, c.3s: PL 44 706s.

ubi ex morbis, vexationibus daemonis et aliis malis quibus vexantur infantes colligit illos teneri originali peccato.

Nihilominus sine dubio excedunt illi doctores, et prae caeteris Albertus et Catherinus, deinde vero Guillelmus et D. Bonaventura, nam falsa est propositio Alberti in citato membro 1, argumento 3¹⁶⁸, videlicet, iniustum esset Deum permittere ea mala quae pueri patiuntur in febribus et dustionibus nisi praecessisset peccatum originale, quod idem sentire videtur Catherinus.

Ratio autem efficax pro conclusione nostra contra hos doctores haec est: quia quos defectus et poenas animi et corporis modo patiuntur pueri ante baptismum vel etiam post baptismum pueri at adulti, eosdem paterentur homines qui crearentur a Deo et non procederent ex stirpe Adami, quoniam hi defectus naturam hominis consequuntur, ut dicemus infra dubio 5 et sequentibus et in sectione ultima de poena originalis. Ergo ex his defectibus non colligitur efficaciter originale peccatum, cum sine illo esse potuerit.

Sed PETIS utrum saltem probabiliter colligatur originale peccatum ex praedictis inditiis. Afirmat enim D. Thomas, 4 Contra Gentiles, c.52¹⁶⁹, ex professo, quia *supposita divina providentia quae perfectissime solet unicuique creaturae pro sua dignitate consulere, cum animus noster ex sua natura sit perfectior corpore et illius dominus, probabiliter creditur Deum a principio tribuisse donum supernaturale quo animus perfecte dominaretur corpori*. Rursus, cum anima sit immortalis, ne in aeternum maneret spoliata materia, probabile est datam esse homini immortalitatem.

RESPONDEO: his rationibus et similibus colligitur aliqua probabilitate quamvis tenui, mortem, rebellionem carnis et alios defectus invasisse genus hominum propter primi parentis culpam amittentis iustitiam originalem; verumtamen hanc culpam primi parentis causam fuisse in singulis hominibus propriae culpa, hoc nulla probabilitate colligi poterat ex illis [f.409v] inditiis sublata

¹⁶⁸ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.1: ed. Vivès t.33, p.284.

¹⁶⁹ S. THOMAS, *Summa contra gentiles*, 1.4, c.52: ed.leon. 15, 163.

fide; inde enim non colligitur nobis esse imputabilem et voluntariam carentiam gratiae et inimicitiam Dei, de quo dicitur dubio 2. Denique quando Sancti Patres utuntur praedictis rationibus, ita intelligendi sunt ut vel utantur his congruentiis ad probandum illud tantum quod probabiliter probari diximus, vel ut argumententur supposita fide qua docemur has omnes calamitates esse vere poenas, unde necessarium infligi pro culpa. Quo sensu procedit D. Augustinus, 3^o Contra Iulianum, c.3 et 4, ut magis patet ex sequenti c.5¹⁷⁰. Quare Sanctorum argumentum est huiusmodi: quamvis mors et aliae calamitates procederent naturaliter ex humana constitutione, nihilominus ex Sacra Scriptura constat quod illae non permetterentur nisi in supplicium peccati, quapropter Paulus absolute pronuntiat *mortem stipendium esse peccati*, ad Ro 6, et 1 Cor 5: *aculeum mortis esse peccatum*; ergo, modo, de facto, mors et aliae calamitates sunt poena peccati. Rursus non punit filios pro peccatis parentum nisi etiam in filios culpae transeant, ut dicitur infra, dubio 3, et q.87, a.8; ergo infantes contrahunt aliquam culpam ratione cuius puniantur.

Dubium 2

quomodo posit imputari ea culpa quae per originem traducitur
Ubi an sit voluntaria et libera

Dubitandi rationes sunt:

—1^a, quia nullo modo potest imputari nisi quod est voluntarium; sed originale nullo modo est voluntarium parvulis, nam nec est voluntarium formaliter, ut evidenter constat in puero qui cum primum existimet antequam habeat ullum voluntatis actum inficitur originali culpa; nec est voluntarium virtualiter, quia voluntarium virtuale supponit aliquem actum formalem voluntatis in quo virtualiter contineatur; nec est voluntarium interpretative, quia interpretativa voluntas non datur nisi in eo qui potest et debet

¹⁷⁰ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.3, c.5: PL 44 707s.

facere et non facit. Supra, q.6, a.3, et q.62, a.6¹⁷¹.

—2°, quia quod nullo modo possumus vitare non est nobis liberum nec imputabile; sed nullus hominum vitare potest originale; ergo non est liberum.

—3°, quia si quis effugere velit difficultatem dicens originale non esse culpam actualem sed habitualem, — Nihilominus redit eadem difficultas, quia peccatum habituale, quod consistit in privatione gratiae, essentialiter et formalissime affert respectum ad actum peccati ita ut privatio gratiae sit propter aliquam culpam actualem quae censeatur moraliter durare donec remittatur, ut fusius infra, dubio 12 et 14. Sed peccatum actuale Adami nullo modo fuit nobis voluntarium nec liberum; ergo ex illo non possumus contrahere propriam rationem culpae habitualis sed tantum quandam quasi materialem partem illius, [f.410] videlicet negationem gratiae.

CONFIRMATUR 1°, quia nullo modo potuit infans impedire peccatum actuale Adami; ergo nullo modo illud imputabitur habitualiter ita ut propter illud, ut propter culpam infantis, negata fuerit illi gratia et fuerit inimicus Dei ante baptismum.

CONFIRMATUR 2°, quia alias iam peccavisset infans antequam genitus fuisset, unde licet non fuisset genitus ex stirpe Adami sed miraculose a Deo crearetur nihilominus reus esset eiusdem culpae, quia quod iam factum est nequit infectum fieri quamvis res futurae mutantur.

CONFIRMATUR 3°, quia saltem colligitur non aliter esse in nobis peccatum habituale originale quam sit peccatum actuale originale; sed peccatum actuale Adami non est in singulis hominibus quia fuit unicum in Adamo; ergo peccatum habituale originale non est unicuique proprium sed unicum omnibus hominibus commune.

Quare, quia quod est naturale non est voluntarium nec imputabile ad culpam; sed originale est peccatum naturale et necessario naturam consequens; ergo non est imputabile. MINOR constat ex Paulo dicente *eramus et nos natura filii irae*, et D.

¹⁷¹ S. THOMAS, *Summa Theologiae*, 1 2, q.6, a.3.— q.72, a.6: ATG 56(1973)220-278.

Augustinus, tract. 44 in Ioannem, explicans mystice caecum a nativitate, ex praedicto testimonio Pauli, *quare, inquit, natura filii irae nisi quia peccante primo homine vitium pro matura inolevit*¹⁷², et Dionysius citatus in praecedenti dubio post conclusionem 3, appellat originale habitum dissimilitudinis ingenitum¹⁷³; D. Chrysostomus in c.15 1^{ae} Cor, appellat radicale peccatum¹⁷⁴; D. Anselmus, De conceptu Virginali, cap. 1 et alibi saepe, praesertim c.22, appellat peccatum *naturale* distinctum a *personali*¹⁷⁵; et alii in praecedenti dubio citati dicunt esse vitium et culpam naturae et naturaliter contractam.

1[^] CONCLUSIO naturaliter evidens et ab omnibus concessa: *culpa quae a parentibus transfunditur in pueros non potest tam perfecte imputari sicut imputatur culpa personalis.*

Etenim quando Petro imputatur furtum quod sua voluntate committit illa est perfectissima ratio voluntarii et liberi huic homini ac proinde imputabilis huic homini; unde ille punitur non solum poena damni sed etiam sensus nec solum spoliatur bonis gratuitis sed etiam plectitur in bonis naturaliter sibi debitis; quod tamen non reperitur in culpa originali, ut infra, sectione ultima.

Hoc satis probant praecedentia argumenta, non solum de personali culpa actuali sed etiam de personali culpa habituali.

Propterea D. Bernardus, De gratia et libero arbitrio, col. 2, postquam ex professo probavit imputabilitatem, meritum et demeritum reperiri non posse sine libertate et voluntate, subdit *excepto per omnia originali peccato quod aliam constat habere rationem*, verum idem Bernardus supponere videtur in originali peccato suam inesse imputabilitatem¹⁷⁶.

Hoc igitur restat explicandum, qua ratione possit esse

¹⁷² AGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium tractatus CXXIV*, trac. 44: PL 35 1714.

¹⁷³ PSDIONYSIUS, *De ecclesiastica hierarchia*, c.2: PG 3 402.

¹⁷⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil.40 in ep.1 ad Cor*, c.15: Venecia 1574, p.226, col.3; PG 61 349.

¹⁷⁵ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.22: PL 158 456.

¹⁷⁶ BERNARDO, *De gratia et libero arbitrio*: PL 182 1004.

imputabile quod non est imputabile particulari voluntati personae.

Altissiodorensis, lib.2, trac. 27, in cap. 1, fine, ait *originalem culpam nullo modo esse liberam sed naturalem*¹⁷⁷; idem aperte colligitur ex Guillermo [f.410v] Parisiensi, tractatu de vitiis et peccatis, c.3 et sequentibus¹⁷⁸; etenim postquam reiecerat imputabilitatem peccati actualis numerat quinque acceptiones peccati quibus originale dici potest peccatum proprie, ut ipse ait: 1^a, quia opponitur rectitudini status innocentiae; 2^a, eo modo quo monstruum dicitur peccatum naturae; 3^a, eo modo quo habitus vitiorum dicuntur peccata; 4^a, coincidit cum 1^a; 5^a, vero, quia est effectus peccati primi parentis. Sed in his acceptionibus constat nullam reperiri rationem imputabilitatis.

Nihilominus sit 2^a CONCLUSIO: *originalis culpa est absolute voluntaria et libera singulis hominibus, non particulari voluntate personae sed universali voluntate naturae quae fuit voluntas Adami, in qua ut in voluntate capitis nostrae omnes voluntates erant.*

Oppositum huius conclusionis existimo esse temerarium et periculosum. Hanc conclusionem docet, licet non adeo expresse, D. Augustinus, 2 De nuptiis et concupiscentiis, c.28¹⁷⁹, et 3 De peccatorum meritis, c.7¹⁸⁰, et 1 Retractationum, c.13 et 15, explicans quae dixerat libro De duabus animabus, praesertim c.10 et 12¹⁸¹, et quod dixerat in libro De vera religione, c.14¹⁸², *peccatum adeo esse voluntarium ut non sit peccatum si non sit voluntarium*, quod dictum, si referatur ad privatam voluntatem personae, intelligendum erit de sola culpa actuali cuicumque homini propria; si autem intelligendum sit etiam de peccato originali, referri oportet ad voluntatem publicam et universalem Adami ut capitis. Eodem modo intelligendum erit quod Augusti-

¹⁷⁷ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *Summa Aurea*, 1.2, tract.27, c.1: fol.97v (Biblioteca Apostolica Vaticana - INCUN. - III - 439)..

¹⁷⁸ GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISENSIS, *De vitiis et peccatis*, c.3: Opera omnia, Ambiani 1674, t.1, p.263s.

¹⁷⁹ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, 1.2, c.28: PL 44 464.

¹⁸⁰ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, 1.3, c.7: PL 44 194.

¹⁸¹ AUGUSTINUS, *Retractationum*, 1, c.15: CCL 57, p.46.

¹⁸² AUGUSTINUS, *Retractationum*, 1, c.13: CCL 57, p.38.

nus ait, 3^o Contra Iulianum, c.5, initio¹⁸³, et quod asserit Anselmus in libro De conceptu virginali, ut constat ex c. 2 et 3 et 4, et c.10 et 22¹⁸⁴, in quibus apertius ostendi culpam originalem voluntariam fuisse et vitari potuisse et debuisse voluntate capitis et non personali. Eiusden sententiae videtur esse Hugo de Sancto Victore, libro De sacramentis fidei, p.7, cap.23 et sequentibus¹⁸⁵, ubi propterea dicit necessitatem contrahendi originale non excusare infantes a culpa quia necessitatem adduxit voluntas; et Magister, 2, d.30¹⁸⁶, ex D. Augustino, libro De baptismo parvulorum.

Expressius conclusionem tradunt Albertus, 2 p., tract.17, q.107, mem.2¹⁸⁷; Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.2¹⁸⁸; D. Thomas, q.81, a.1, ubi Caietanus¹⁸⁹, Conradus¹⁹⁰, et alii expositores; et De malo, q.4, a.1 ad 4¹⁹¹, et 2, d.30¹⁹²; D. Antoninus, 1 p., tit.8, c.1¹⁹³; D. Bonaventura, 2, d.30, a.1,

¹⁸³ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.3, c.5: PL 44 707s.

¹⁸⁴ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*, c.2ss: PL 158 434-437; c.10: 443s; c.22: 452s.

¹⁸⁵ HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis*, libro 1, p.7, c.23ss: PL 297sss.

¹⁸⁶ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.30: Quaracqui 1916, t.1, p.465.

¹⁸⁷ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.2, solutio: ed. Vivès t.33, p.288.

¹⁸⁸ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.2, a.1: 1516, fol.257v.

¹⁸⁹ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.81, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.88.

¹⁹⁰ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.81, a.1: Venecia 1589, p.635.

¹⁹¹ TOMÁS DE AQUINO, *De malo*, q.4, a.1 ad 4: ed.leon. 23, 106.

¹⁹² THOMAS AQUINAS, *In Secundum Sententiarum*, d.30, q.1, a.2: ed. Vivès 8, 403a.

¹⁹³ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 1, tit.8, c.1: Lyon 1529, fol.96a.

q.2¹⁹⁴; Scotus, 2, d.32, q.unica, § *Ad argumenta quaestionum per ordinem*¹⁹⁵; Capraeolus, 2, d.30, q.unica, a.3, ad argumentum primum Durandi contra 2^{am} conclusionem¹⁹⁶; immo etiam Durandus d.30, q.2, sub scriptione *Si originale est proprie culpa*¹⁹⁷, et clarius q.3, n.10¹⁹⁸; Ricardus, eadem d., a.1, q.1 ad 1 et 2¹⁹⁹; Taper, a.2 Contra Luterum, in opinione 4²⁰⁰; D. Thomas, De originali, pag. 45; Peltanus, De originis peccato, trac.6²⁰¹; Bellarminus, libro 4 De amissione gratiae, cap.10 ad obiectionem 3, tom.9²⁰²; Valentia, tomo 2, disp.6, q.11, puncto 1 ad 1^{um}203.

Et hi omnes Doctores probant, quia ad rationem culpae et peccati, ut distinguitur a poena et ut reddit hominem odio et poena dignum, requiritur esse imputabile et vituperabile et adhuc [f.411] requiritur esse voluntarium et liberum. CONFIRMAT D. Thomas ex Philosopho, 3 Ethicorum, cap.5, qui ait *nullus*

¹⁹⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, a.1, q.2: ed Quaracchi, 2, p.719.

¹⁹⁵ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.30-32, a.4: Quaracchi 1914, t.2, p.774.

¹⁹⁶ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologiae Divi Thomae Aquinatis, In secundo Sententiarum*, d.30, q.1, a.3: Turonibus 1903, t.4, p.340.

¹⁹⁷ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*. 1.2, d.30, q.2: Amberes 1566, f.182, n.6.

¹⁹⁸ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*. 1.2, d.30, q.3: Amberes 1566, f.182v, n.10.

¹⁹⁹ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.1, q.1 ad 1 et 2: Brujas, tomo 2, 1591, p.372b.

²⁰⁰ RUARDUS TAPER AB ENCHUSIA, *Explicationis articulorum... facultatis lovaniensis*, art.2, opinio quarta: Amberes 1555, p.65.

²⁰¹ PELTANO, TEODORO, *De originis peccato, tractatus sextus (Originis vitium verae rationis peccatum esse; neque vacillationes quibus antagonistae nituntur oppositum convincere)*: Colonia 1576, pp.63-79.

²⁰² ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.10: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.357.

²⁰³ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum tomus secundus, complectens omnia 1 2 D. Thomae theoremata, Disp. VI, q. XI (De peccato originali)*, puncto 1 ad 1: Lyon 1603, col.621.

*improperabit caeco nato sed magis miserebitur*²⁰⁴.

SEQUITUR ex his: —1º, male explicari traductionem culpae originalis ex similitudine morbi qui a parentibus traducitur in posteros, sicut pater laborans podagra filium generat simili morbo obnoxium, quam explicationem docuerat olim D. Thomas, 2, d.30²⁰⁵, et illam merito reiicit in praesenti q.81²⁰⁶, quia nullam relinquit rationem voluntarii et imputabilis in peccato originali, sicut nec in morbo accepto a progenitoribus.

—Alii originalis traductionem explicant exemplo magnatis qui propter crimen laesae maiestatis dignitatem et opes amittens non solum sibi sed etiam posteris eisdem turpem dedecoris notam inurit. Hoc exemplum, ex Anselmo, libro De conceptu Virginali, cap.27 desumptum, afferunt plerique theologi, a quibus temperari debuisset ut ab Anselmo temperatur illis verbis: *hoc iudicium Dei non est alienum multum ab hominum iudicio*²⁰⁷, ubi ex obliquo denotat bona ex parte esse dissimile, nam quamvis hoc exemplum explicet iustum fuisse Adami posteritatem bonis supernaturalibus spoliare, nihilominus non explicat singulis hominibus inesse culpam, quia nullam explicat rationem voluntarii et imputabilis; imo certum esse debet nullum posse afferri in humanis exemplum quo parentis culpa transeat in veram culpam filiorum illis imputabilem. Idem fere de hoc exemplo tradunt Albertus, 2 p., q.107, mem.2, argumento 1, et in eius solutione²⁰⁸, et Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.1²⁰⁹.

—3º, prorsus abiicienda est sententia Magistri, 2, d.30, qui, ut ostendat quomodo omnes fuerimus in Adamo, et in illo peccaverimus, ait omnium nostrum aliquam partem substantiae fuisse in Adamo, quae eadem numero ad singulos homines

²⁰⁴ Q.81, a.1, c.

²⁰⁵ S. THOMAS, *In Secundum Sententiarum*, d.30, q.1, a.2: ed. Vivès 8, 403b.

²⁰⁶ *Ibid.* a.1 c.

²⁰⁷ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.27: PL 158 461.

²⁰⁸ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.2, arg.1: ed. Vivès t.33, p. 286, 288.

²⁰⁹ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.2, a.1: 1516, fol.257v.

pervenerit aucta a Deo; ait enim nihil alimenti transire in veritatem humanae naturae²¹⁰. Huius opinionis impugnatio non est huius loci; satis est merito appellari irrationabilem a D. Thoma, 1 p., q.119, a.1²¹¹; et communiter reiicitur a Doctoribus, 2, d.30, ubi D. Bonaventura, q. ultima²¹², ex sententia medicorum et philosophorum; Durandus²¹³ et alii.

Illud tamen advertendum est hac opinione nihil emoliri difficultatem originalis peccati: adhuc enim non ostenditur quomodo nobis sit voluntarium hoc nostrum peccatum potius quam aliorum parentum peccata aut alia peccata primi parentis. Sed de ratione et modo traductionis originalis peccati plura dicemus in peculiari sectione.

Sit ergo 3^a CONCLUSIO: *Deus primum hominem constituit caput totius posteritatis hoc pacto cum eo inito, si meam legem custodieris, iustitiam et gratiam non solum tibi sed etiam posteris conservabis; si vero pactum meum irritum feceris, omnes filios inimicos Dei constitues.*

Ita docent expresse D. Bonaventura, 2, d.30, a.1, q.2 c²¹⁴; Scotus, 2, d.30-32, q. prima²¹⁵; Albertus Pigijs, controversia de originali peccato, § 8; Marsilius, 2, d.19²¹⁶; Catherinus, libro De originali peccato, capite ultimo; Vega, 2 In Tridentinum, cap. 2 et 6²¹⁷; communiter iuniores in praesenti q.81; Suarez, 3 p.,

²¹⁰ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.30: Quaracqui 1916, t.1, p.467.

²¹¹ TOMÁS DE AQUINO, 1 p., q.119: ed.leon. 5, 572.

²¹² BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, a.3, q.2: ed Quaracchi, 2, p.736s.

²¹³ DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.30, q.5: Amberes 1566, fol.183v, n.5,6.

²¹⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, a.1, q.21: ed Quaracchi, 2, p.719.

²¹⁵ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.30-32, a.3: Quaracchi 1914, p.770, n.835.

²¹⁶ MARSILIO DE INGHEN, *Quaestiones super quattuor libros Sententiarum*, 2, q.19: 1.501, fol.312 vb.

²¹⁷ VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa libri XV*, 1.2, c.2, 6: Colonia 1572, p.14, 19.

disp. 39, sect.1 sub finem²¹⁸; favent alii citati pro 2^a conclusione, praesertim Albertus Magnus [f.411v] et D. Thomas, q.81, a.2 corpore; et magis Durandus, 2, d.30, q.2²¹⁹; D. Antoninus, 1^a p., tit.8, c.1²²⁰.

Imo D. Augustinus, 16 De civitate, c.27, ex hac conclusione explicat illud Gen 17 [14] *masculus cuius preputii caro circumcissa non fuerit peribit anima eius quia pactum meum irritum fecit*²²¹, scilicet quod cum Adamo pepigit; et similiter Hieronymus, Oseae 6 [7] explicat illud *ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum meum ibi*²²².

Et quamvis hoc pactum non contineatur expresse in Sacra Scriptura, ex illis tamen efficaci ratione colligitur, quoniam sine illo Adami peccatum non magis pertinebit ad posteros quam aliorum parentum peccata, nec magis primum peccatum quam alia peccata Adami. CONFIRMATUR 1^o, quoniam ut Adam fuerit caput nostrum et illius voluntas nobis ut membris imputetur non satis est ab illo esse genitos, siquidem aliorum progenitorum peccata nobis non imputantur. CONFIRMATUR 2^o, quia nullus potest pro alio mereri aut satisfacere nisi ex acceptatione et pacto sive lege positiva Dei, ut traditur in materia de Incarnatione; ergo non potest unus pro alio demereri sine aliquo pacto et lege.

Praeterea probabilius est hoc peccatum [*pactum?*] revelatum fuisse Adamo. —1^o, quia sic facilius et proprius Adam constituitur caput morale posteritatis ut solent creari principes. —2^o, quia sic peccare potuit Adamus et non peccare, ut caput liberum quod suae posteritatis bono publico libere consulit aut illud evertit, ut vel sic fuerit Deo inoboediens non solum ut particularis persona sed etiam ut caput. —3^o, quia Adamus consentire poterat in

²¹⁸ FRANCISCO SUÁREZ, *In tertiam partem D. Thomae*, Disp. 39, sect.1: ed. Vivès 20, p.705s.

²¹⁹ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*. 1.2, d.30, q.2: Amberes 1566, f.182.

²²⁰ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 1, tit.8, c.1: Lyon 1529, fol.96.

²²¹ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.16, c.27: CCL 48 531, PL 41 506.

²²² JERÓNIMO, *Commentariorum in Oseam Prophetam*, c.6, v.6: PL 25 911s.

pactum illud non solum nomine suo sed etiam nomine omnium nostrum, dummodo ante consensum praebendum posteritatis nomine, iam Adamus esset a Deo constitutus aliquo modo caput, ad finem ineundi contractus nomine totius posteritatis et in bonum illius.

Hoc pactum irridet Sotus, De natura et gratia, cap.10, § *Haec tamen omnia*²²³, et impugnat Peltanus, De originis peccato, tractatu 6, § *Sed sane*²²⁴; verumtamen idem Peltanus, § *Mira sunt haec*²²⁵, in re coincidit cum eodem pacto.

Impugnationum autem —1^a est quia non habetur in Sacris Scripturis. —Sed RESPONDEO satis esse ex illa colligi ratione supra dicta.

—2^a, quia praecepta non dantur de habitibus sed de actibus; ergo Adamus non habuit praeceptum servandi iustitiam et gratiam. —Sed evidens est posse dari praecepta de habitibus mediate, ut de divitiis quae acquirendae sunt et servandae per actus; sicque praeceptum fuit Adamo ne aliquo actu mortalis peccati iustitiam sibi et posteris amitteret.

—3^o urget Peltanus, quia si hoc diverso praecepto opus non erat, quoniam eodem quo tenebatur Adamus abstinere a fructu arboris tenebatur etiam conservare iustitiam, sicut nos eodem praecepto tenemur conservare Dei amicitiam, quo tenemur non furari aut non occidere. —RESPONDEO 1^o: quod ad rem praesentem attinet non multum refert utrum sit [f.412] idem vel diversum praeceptum dummodo praeceptum fuerit Adamo, ut capiti, iustitiam posteris conservare. —RESPONDEO 2^o, non est dubium quin obligatio servandi iustitiam posteris diversa sit ab obligatione conservandi iustitiam sibi et abstinendi a fructu vetito; quia alia obligatio nascitur ex officio capitis, et diversam rationem honestatis continet, videlicet in ordine ad alios; et poterat Adamus obligari praecepto abstinendi a pomo et servandi iustitiam sibi

²²³ DOMINGO DE SOTO OP, *De natura et gratia libri tres*, 1.1, c.10: Salamanca 1554, fol.33.

²²⁴ PELTANO, TEODORO, *De originis peccato, tractatus sextus § Sed sane*: Colonia 1576, p.67.

²²⁵ *Ibid.* p.70.

quamvis relinqueretur liber ab obligatione servandi iustitiam posteris. CONFIRMATUR quia longe levius peccatum fuisset si Adamus sibi tantum iustitiam amisisset. Vide sequentis dubii argumentum 3.

—4^o OBIICIT, quia huiusmodi pactum inutile est ad rem praesentem; siquidem ratione illius non est magis voluntarium nobis peccatum Adami. Quod probat quia illud pactum fuit nobis prorsus involuntarium, et factum nobis minime consentientibus; ergo quidquid ex tali pacto resultat non est nobis voluntarium. CONFIRMARI potest a dissimili: quia si unusquisque nostrum suo proprio consensu voluntatem ita contulisset in liberum arbitrium Adami ut quidquid ille decrevisset nos velle profiteremur, iam unusquisque nostrum moraliter dici posset velle quod Adamus voluit. —Verumtamen hanc potestatem numquam in Adamum contulimus.

Nihilominus sit 4^a CONCLUSIO: *ut peccatum Adami sit nobis imputabile solummodo voluntate naturae et capitis, satis est Deum auctorem naturae posuisse in Adamo totius posteritatis voluntates quod attinet ad ineundum pactum de amicitia vel inimicitia haereditaria, qua auctoritate a conditore accepta Adamus posteritatis nomine in pactum illud consenserit.*

PROBATUR et simul RESPONDEO ad obiectionem praecedentem, quia noster consensus in pactum initum cum Adamo, quamvis requiratur ut peccatum Adami saltem remote et mediate reducatur in particularem voluntatem nostram a qua Adamus potestatem acceperit, non tamen requiritur ut Adam vere sit caput et totius naturae ab illo nasciturae personam gerat, sed hoc potest illi a Deo conferri; ergo si hac potestate accepta, et pacto inito peccaverit, nos in illo peccavimus voluntate naturae et capitis.

Quod si OBIICIAS iniustum esse nostro consensu non spectato Deum Adamo conferre nostrarum voluntatum potestatem.

RESPONDEO: quin potius aequissimum fuisse et liberalitate plenum, —non solum quia Deus est supremus Dominus et Gubernator omnium, sub cuius quasi tutela sunt futura bona eorum qui sunt nascituri; ac proinde quasi naturae humanae vicem et auctoritatem obtinens eminentiori modo ex vi naturalis iuris

quod ex divinitate proficiscitur potest vice naturae humanae conferre voluntatem naturae in aliquam personam ut pactum inire possit totius naturae nomine; —sed etiam quia totum pactum illud erat in nostrum commodum, usque adeo ut si omnes Adami posterius adessent tunc antequam ab illo nascerentur, proposito sibi a Deo huiusmodi [f.412v] pacto, si prudentissime sibi consulere, debuissent assensum praebere et Deo illius ductori ut pro singulari beneficio gratias agere, quoniam illud pactum ex natura sua et per se ad bonum maximum totius naturae ordinabatur, cuius eventus felix sperari potuit et ut existimo verisimilius quam timeri malus eventus.

Cuius RATIO 1^a est quia fere totum hoc negotium erat de rebus supernaturalibus sine quibus homo ex natura sua nasci debuisset etiam si nullus peccasset. Quare haec dona Adamo conferre, et nobis in illo quia ea ab eius perseverantia penderent, summam gratiam continebat. Sed privari donis illo peccante nulla erat iniustitia, et in nulla re intrinseca eorum quae hominibus naturaliter debita sunt laedit originale peccatum. Et quamvis per illud amisserimus debitam subiectionem et ordinem ad Deum, etiam ut est auctor naturae, ut dicemus infra, dubio 9, amisserimus quoque beatitudinem naturalem, ut explicabitur in sectione ultima, sed quoniam turpius et periculosius eadem amittenda essent ab homine qui diu viveret sine auxiliis gratiae cum solis communibus auxiliis naturae, ideo si prudenter ageret communitas hominum debuisset hoc pactum libenter admittere.

2^a RATIO est quia ut Adamus aptior esset ad munus capitis instructus est gratia, donis et copiosis auxiliis et inimicos omnes internos subiugatos habuit et praeter praecepta omnia naturalia unicum praeceptum positivum Deus illi imposuit; quod si ex hoc tantum praecepto positivo pendeat posteritatis gratia (quod non est improbable) longe facilius erat iustitiam posteris consedvare.

3^a RATIO aequitatis et misericordiae in hoc pacto est quoniam ante languorem Christi Domini medicina praeparata fuit quamvis dependenter a praeviso originali, de quo alibi.

2^o. Si OBIICIAS: adhuc non sequitur Adami peccatum nobis esse voluntarium et imputabile. Quia si alicui plenam potestatem gerendi negotia committo prudenter, ut fideli et experto procura-

tori, quamvis ille moriatur postea aliquid in meam perniciem non mihi imputabitur ulla culpa; sed Adam a Deo auctore naturae accepit potestatem et auctoritatem naturae humanae et contra Dei et naturae intensionem nos perdidit; ergo hoc non imputabitur nobis, vel potius imputabitur Deo qui contulit hanc potestatem. RESPONDEO: non imputabitur ulla culpa mihi secundum propriam voluntatem quando in meam perniciem negotia gerit procurator; nihilominus quia in negotiis meam personam sustinet moraliter, perinde erit ac si mihi ipse damnum attulisset[m]. Ut ergo hoc mihi tribuendum est propter unitatem moralem qua procurator et ego unum sumus, ita longe altiori et perfectiori modo imputandum est nobis peccatum Adami propter maiorem unitatem qua continebamur in Adamo, totam naturam humanam ab illo nascituram ex pacto et auctoritate Dei repraesentante. [f.413]

5^a CONCLUSIO: nonnihil explicatur haec ratio imputabilis exemplo Sancti Thomae, q.81, a.1, et videtur desumptum ex Anselmo, De conceptu virginali, cap.4²²⁶, quamvis ille praetermiserit accommodationem exempli; eodem utitur Antoninus, 1 p., tit.8, cap. 1²²⁷: *sicut enim actio manus quamvis non sit voluntaria voluntate peculiari manus, quia tamen relata ad voluntatem totius hominis voluntaria est ideo censetur peccatum: ita tota Adami posteritas quasi corpus unum erat, ut in moralibus communitas efficit unum corpus et in metaphysicis, participatione speciei plures homines sunt unus homo apud Porphyrium in capitulo de specie, et quia totius corporis voluntas residebat in capite, scilicet Adamo, ideo carentia gratiae existans in parvulo quamvis non sit contracta voluntate peculiari parvuli, nihilominus imputatur ratione voluntatis publicae quae fuit in capite. Atque eadem spectare videtur sententia Procli Constantini in homilia 1 de Natali Virginis apud Turrianum, De originalis definitione,*

²²⁶ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.4: PL 158 438.

²²⁷ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 1, tit.8, c.1: Lyon 1529, fol.96.

pag.28, *omnes peccatum per Adam manu obsignavimus*²²⁸.

Observa tamen in hoc exemplo non esse quaerendam similitudinem in omnibus, cum multa contineat dissimilia: —1^{um}, quia inter hominem et manum est unio naturalis, sed inter Adamum et eius posteritatem unio est moralis, ex lege et pacto Dei, non ex rerum natura proveniens. —2^{um}, quia manus aliquid efficit, sed nos nihil fecimus circa peccatum originale nostra particulari actione, de quo bene Caietanus, ad art.1 quaestionis 81²²⁹. —3^{um}, quia peccatum voluntatis et manus unicum est aut solum distinguitur ut actus interior et exterior; at vero singulis hominibus insunt peccata originalia distincta a peccato actuali Adami quamvis in ordine ad illud constituentur, de quo infra, dubio 12 et 13.

Alio exemplo explicat Turrianus, in epistula De originalis peccati definitione, folio 26 usque ad 31²³⁰: *ut enim Paulus ad Hebraeos 7, ait omnes tribus ex Abrahamo profectas, atque adeo ipsos etiam sacerdotes filios Levi, decimatos fuisse in Abrahamo ut subiunctionem et reverentiam profiterentur, et benedictionem accepisse a Melchidech tanquam a sanctiori et altiori sacerdote Christi Domini typum gerente; cuius rationem subiungit Apostolus: quoniam Levi erat adhuc in lumbis Abrahae quando decimas obtulit et benedictionem accepit; cuius rationis partem aliam innuit Apostolus: quoniam iustitiam et religionem solvendi decimas et accipiendae benedictionis gratiam, Abrahamus accepit a Deo non solum ut particularis persona sed etiam ut caput futuri israelitici populi; eodem pacto, quoniam Adamus caput erat humani generis, quod in eius lumbis potestate continebatur et cuius voluntates Deus in eum contulerat, potuit ad filios gratiam oboedientia, et peccatum transgressione, transmittere. Sed in eo*

²²⁸ TURRIANUS (FRANCISCO DE TORRES), SI, *De definitione propria peccati originalis... et de Conceptione Virginis et Matris Dei sine peccato...*: Salamanca 1582, fol 28a.

²²⁹ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.81, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.88.

²³⁰ TURRIANUS, *De definitione...*: Salamanca 1582, fol 26-31.

deficit etiam haec similitudo: quoniam ad culpam requiritur imputabilitas eius cui inhaeret culpa, sed ad solvendas decimas benedictionemque recipiendam non requiritur. Observat merito Peltanus, tractatu 6, § *Sunt haec aliqua*, et sequentibus: *non solum esse concedendum peccatum Adami voluntarium esse naturae humanae nec solum rei [f.413v] publicae hominum sive omnibus hominibus collective sumptis sed etiam singulis hominibus divisive voluntarium esse peccatum originale, sed non per voluntatem quae singulis peculiaris sit sed per voluntatem omnibus communem*²³¹.

Ex dictis SOLVENTUR ARGUMENTA in principio proposita:

Ad 1^{um} RESPONDEO concludi voluntate peculiari uniuscuiusque hominis non esse volitum originale, sed non probat non esse volitum voluntate publica naturae et capitis; quod si PERSISTAS interrogans utrum hac voluntate publica fuerit volitum originale a nobis formaliter aut virtualiter aut saltem interpretative; RESPONDEO: hae differentiae voluntarii formalis, virtualis et interpretativi primario pertinent ad voluntatem propriam cuiusque hominis; quod si inde servata debita proportione transferantur ad voluntatem publicam omnibus communem tunc dicendum erit originale peccatum nobis esse voluntarium partim formaliter partim vero virtualiter: formaliter quidem quatenus voluntas nostri capitis, scilicet Adami, formaliter et expresse voluit violare praeceptum; virtualiter tamen et quasi implicite quatenus Adami voluntas non formaliter et explicitate sed potestate et eminentia a Deo accepta hominum voluntates continebat.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO: ex contextu constat in capite *Maiores* negari consensum personalem pueri, et nihil agi de consensu naturae et capitis. Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO illud fuisse nobis voluntarium potius per modum actus eliciti a nobis per voluntatem Adami quam per modum actus imperati; semper tamen in his locutionibus suppono loqui me de voluntate communi et publica.

²³¹ PELTANO, TEODORO, *De originis peccato, tractatus sextus*: Colonia 1576, p.695.

Ad 2 RESPONDEO negando minorem, quoniam omnes homines originale peccatum vitare potuimus voluntate et potestate communi Adami quae nostra erat quoniam erat capitis nostri, quamvis non potuerimus vitare peculiari singulorum hominum voluntate.

Ad 3 RESPONDEO negando minorem; immo imputatur nobis nostra macula originalis sed etiam ipsum actuale peccatum Adami ita ut nos vere in Adamo peccaverimus, quod ex professo probandum est infra, dubio 15. —Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO negando antecedens, sicut dictum est ad 2. —Ad 2^{am} confirmationem, RESPONDEO negando sequelam: etenim puer non est censendus peccavisse quousque uniatur capiti, scilicet Adamo; nam quod infans peccaverit non solum pendet ex praeterito actu Adami sed etiam ex unione cum Adamo per lineam virilem, unde si non uniatur hoc modo fiet ut infans non peccaverit in Adam quamvis peccatum Adami non posit non fuisse. Ad 3^{am} confirmationem, [RESPONDEO] negando maiorem, quia habituale peccatum, cum sit macula relicta in essentia animae propter praecedentem actum malum capitis, potest esse inhaerens in singulis membris cum ordine ad illud unicum actuale peccatum capitis; at vero actuale peccatum desinit esse corrupta entitate actus et non recipitur nisi in potentia elicente illum actum, [f.414] et ideo non potest ad filios transire actus peccati originalis. Ad ultimam RESPONDEO originale peccatum non est absolute naturale, tum quia non est consentaneum sed potius dissentaneum naturae; tum etiam quia non comitatur naturam necessariam nisi facta suppositione divini pacti et primae inoboedientiae, quod utrumque liberum fuit; at vero ex suppositione horum naturale est peccatum originale, quia necessario transit ad posteros et quia proficiscitur ex communi voluntate naturae et quia conditio transeundi est generatio quae contulit nomen naturae; quae explicat optime Augustinus, 1^o Retractationum dum tractat quod dixerat libro De duabus animabus, c.12²³².

²³² AUGUSTINUS, *Retractationum*, 1, c.15: CCL 57, p.48.

Dubium 3

Argumenta contra veritatem originalis culpa dissolvit

Quinque tantum argumenta solvenda sunt in praesenti, quoniam peculiari disputatione non indigent; reliqua in aliis quaestionibus, ut doctrinae ratio postulaverit.

1^{um} ARGUMENTUM, quod in hac re potissimum existimavit olim Julianus, et hac tempestate Zuinglius, sumitur ex 18 [20] Ezechiel et Ieremia 31 [29s], quibus ex instituto traditur filium non esse puniendum pro peccatis parentum, praesertim illis verbis: *filius non portavit iniquitatem patris*. Eodem spectat illud Sapientiae, 12 [15], *ipsum quoque qui non debet puniri damnare exterum aestimas a tua virtute*. CONFIRMATUR, quia Deus remittit peccata propria; ergo non est credibile ab eo imputari aliena peccata.

Sed RESPONDEO 1^o: haec testimonia, praesertim 18 Ezechiel, non pertinere ad culpam originalem nec ad illius poenam sed agere de poena personalium tantum peccatorum, ut constat ex toto illo capite Ezechielis, et poenam personalis peccati parentum non transire ad filios nisi filii imitatione parentum fiant eorundem peccatorum participes, explicant communiter Patres, ut Hieronymus et Augustinus relati a Magistro in 2, d.33, ubi de hac re ex professo disputat²³³; et D. Gregorius et alii infra citandi. Sed de hoc dicemus fusius infra, q.87, a.1. Hac solutione respondet Bonaventura, 2, d.30, a.1, q.2²³⁴.

RESPONDEO 2^o: si haec testimonia accipiantur etiam de originali peccato, ita explicanda sunt ut filius non portet iniquitatem primi parentis, sed propriam et inhaerentem sibi iniquitatem; nam quamvis originalis culpa et illius poena proveniat a culpa parentis, nihilominus singuli parvulorum habent peculiarem sibi culpam originalem habitualem diversam a culpa primi parentis, ut ostensum est dubio 1^o conclusione 4; immo et peccatum actuale

²³³ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.33: Quaracqui 1916, t.1, p.485.

²³⁴ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, a.1, q.2: ed Quaracchi, 2, p.718.

primi parentis fuit non solum Adami sed etiam filiorum communi voluntate commissum, ut infra, dubio 15, et supra, dubio 2. quare quicumque filius Adami punitur pro originali, [f.414v] punitur pro culpa sua et non pro sola primi parentis culpa. E contra vero, qui per regenerationem in Christo transferuntur in filios Dei iam non sentiunt acerbitatem paternae culpae, quia nihil in illis remanet quod culpae rationem habet.

Hunc intellectum, quamvis Ezechielis caput 18, forte violenter admittat, sed illum postulat Hieremiae caput 31, nam praecedentia et consequentia verba manifeste continent prophetiam Novi Testamenti. Ita explicat Augustinus, 6 In Julianum, cap.4 et cap.12²³⁵; Anselmus, De conceptu virginali, c.23 et 24²³⁶; Gregorius, 15 Moralium, c.22²³⁷; D. Thomas, hac q.81, ad 1, et fusius 4 Contra gentiles, c.52 ad 1²³⁸; Albertus, 2 p., q.107, mem.1, ad 7²³⁹; Alexander, 2 p., q.122, mem.1²⁴⁰, et communiter Theologi in controversia de originali.

Ex dictis constat solutio confirmationis; nam peccatum originale quod imputatur, non est alienum sed proprium, et sicut hoc peccatum fit parvulis proprium propter inoboedientiam capitis cui per generationem uniuntur, ita remittitur illis propter oboedientiam Christi Domini cui per regenerationem baptismi uniuntur, ut dicetur ad 4^{um}.

2^{um} ARGUMENTUM sumitur ex verbis ad Romanos 5 [19], *sicut per unius hominis inoboedientiam peccatores constituti sunt multi*: ergo non omnes homines propagati ex Adamo contrahunt originale sed tantum qui personalibus peccatis imitantur parentis inoboedientiam. RESPONDEO consequentem esse nullam nam *multi* esse possunt *omnes*, immo in illo contextu evidens est voce *multi*

²³⁵ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.6, c.4, c.12: PL 44 835; PL 868.

²³⁶ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.23s: PL 158 454-459.

²³⁷ GREGORIO MAGNO, *Moralium*, 1.15, c.22: PL 75 1110.

²³⁸ S. THOMAS, *Summa contra gentiles*, 1.4, c.52 ad 1: ed.leon. 15, 164.

²³⁹ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.1, ad.7: ed. Vivès t.33, p. 283s.

²⁴⁰ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.1: 1516, fol.257.

significari idem quod voce *omnes*, vel certe voce multi abstrahere a distributione nullo modo illam negando. Nam dixerat Paulus [18] *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem; sicut enim per inoboedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi etc.* Ubi aperte docet neminem ex Adamo nasci qui non sit peccator, neminem ex Christo renascens qui non sit iustus.

Nec novum est in Sacra Scriptura eosdem filios nunc *multos* dici et postea dici *omnes*, ut Gn 17 [5], *patrem multarum gentium posui te*, et c.22 [18], *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sed INSTABIS: Apostolus in eodem capite scribit [17] *gratiam Dei per Christum abundasse in plures quam peccatum abundaverit;* ergo non omnes qui ex Adamo nascuntur constituti sunt peccatores. RESPONDEO: vox *plures* eo in loco non significat comparisonem sed tantum multitudinem, et multitudinem quidem vox latina significat plerumque, sed ut dicitur vox graeca quae correspondet semper significat multitudinem sine comparatione cum alia multitudine.

3^{um} ARGUMENTUM: *ubi lex non est nec prevaricatio*, ad Romanos 4 [15]; quare nec peccatum esse potest; sed infantes nullius praecepti capaces sunt; ergo non possunt contrahere peccatum. CONFIRMATUR 1^o, quia peccatum definitur dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei. [f.415] CONFIRMATUR 2^o quoniam Sacra Scriptura nusquam indicat praeceptum aliquod usque ad infantes pertinere. CONFIRMATUR 3^o Zuinglius, quia ex Paulo ad Romanos 7 [8s], *absque lege peccatum erat mortuum, ego autem, inquit, vivebam sine lege aliquando;* sed non alio tempore Paulus sine lege vixit nisi in pueritia; ergo tunc nullum in eo peccatum vigere potuit. RESPONDEO parvulos obligatos fuisse praecepto eo gradu quo in superiori dubio diximus vitare potuisse et libere commisisse originale peccatum; itaque sicut originalis culpa non fuit parvulis voluntaria et libera per voluntatem personalem sed per voluntatem communem humani generis, ita eisdem non fuit impositum praeceptum implendum peculiaribus actionibus personarum sed implendum voluntate communi naturae, ac proinde quando Adamo praeceptum fuit ut originalem iustitiam sibi et posteris conservaret, idem omnibus hominibus

praeceptum fuit ut in voluntate capitis continebantur, ac proinde ratione originalis peccati etiam infantes merito appellantur divinae legis praevaricatores, ut docet D. Augustinus, 16 De civitate, c.27²⁴¹, et 1^o Retractationum, c.13 et 15²⁴²; et 2 De nuptiis, c.28²⁴³; sicque D. Dionysius, De ecclesiastica hierarchia c.3, longe post medium, ita loquitur: *apostasia et sanctae legislationis in paradiso transgressio recalcitrantem a vivifica lege propriis motibus tradiderunt*²⁴⁴. Loquitur autem non de Adamo tantum sed de humana natura.

Idem manifestius docent Doctores Scholastici, et ex professo Scotus, 2, d.32, § *Quantum ad secundum*, probat parvulis inesse obligationem habendi originalem iustitiam²⁴⁵; quod et praeterea transgressores esse infantes, docent Capraeolus, 2, d.30, q.unica, a.3 ad 1 *Contra quartam conclusionem*²⁴⁶; Taper, a.2 *Contra Lutherum*, pag.48²⁴⁷; Bellarmino, *De amissione gratiae*, c.10 ad 3, tomo 3²⁴⁸; Valentia, tomo 2, disp.6, q.11, puncto 1 ad 2²⁴⁹; Zumel, q.81, a.1, disp.2, concl.3²⁵⁰.

Si autem PETAS utrum hoc praeceptum servandi iustitiam fuerit naturale aut positivum, RESPONDEO absolute fuisse positivum quia eius obligatio non proficiscitur ex sola natura rei et circumstantiis additis nisi Deus pro sua libertate obligationem

²⁴¹ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.16, c.27: CCL 48 532, PL 41 506.

²⁴² AUGUSTINUS, *Retractationum*, 1, c.13; c.15: CCL 57, p.38; p.46.

²⁴³ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, 1.2, c.28: PL 44 464.

²⁴⁴ PSEUDODIONISIO, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 439s.

²⁴⁵ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.30-32, a.3: Quaracchi 1914, t.2, p.770.

²⁴⁶ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologiae Divi Thomae Aquinatis, In secundo Sententiarum*, d.30, q.1, a.3: Turonibus 1903; t.4, p.345.

²⁴⁷ RUARDUS TAPER AB ENCHUSIA, *Explicationis articulorum... facultatis lovaniensis*, art.2: Amberes 1555, p.48.

²⁴⁸ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae*, 1.4, c.10: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.357.

²⁴⁹ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum tomus secundus, complectens omnia 1 2 D. Thomae theoremata, Disp.VI, q.XI (De peccato originali)*, puncto 1 ad 2: Lyon 1603, col.621.

²⁵⁰ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V.DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.81, a.1, disp.2, conclus.3: Salamanca 1594, p.518s.

imponeret; quoniam quamvis Adamo collata fuisset iustitia originalis eademque reliquis hominibus promitteretur ea lege si Adamus iustitiam servaret; nihilominus nisi illa constitueretur etiam caput humani generis commissa sibi cura servandi originalem iustitiam, non censeretur haec obligatio ad filios pertinere [f.415v] nec primus parens teneretur iustitiam servare posteris nec peccaret nomine posteritatis, quanvis peccaret ut particularis persona quia naturali iure tenebatur eam servare sibi. Vide infra dubio 10 sub finem et supra dubio 2 post conclusionem 3. Hinc constat SOLUTIO primae confirmationis.

Ad 2^{am}, RESPONDEO Dei praeceptum ad infantes pertinere colligitur ex 16 Gn et Oseae 6 [7], ut explicata sunt in dubio 1, conclusione 3, probatione 5^a.

Ad 3^{am} CONFIRMATIONEM, RESPONDEO: Paulus loquitur non de se tantum nec de solis parvulis; sed more praeceptorum loquitur accepta persona totius humanae naturae; et mens illius haec est: ante legem Moysis peccatum nullum metum incutiebat hominibus quia culpabiliter peccati truculentiam et immanitatem ignorantes non magis de illo fugiendo curabant quam de fugiendo leone mortuo aut simulacro venenati serpentis. Quod PROBO quia Paulus ibidem dixerat *peccatum non cognovi nisi per legem* [Ro 7,7] et in c.5 dixerat *usque ad legem peccatum fuisse in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non esset* [Ro 5,7], id est, non reputabatur nec habebatur ut peccatum. Ita intelligunt Chrysostomus²⁵¹, Theophilactus²⁵², et communiter Patres, Ad Rom 7, et D. Augustinus libro 83 Quaestionum, q.66²⁵³, et libro 1 ad Simplicianum, q.1²⁵⁴. Itaque in hoc testimonio Paulus originale peccatum parvulis nec tribuit nec negat.

4^{um} ARGUMENTUM: quia ita abundat Christi Domini iustitia in

²⁵¹ JUAN CRISÓSTOMO, *In epist. ad Romanos*, Homil.12: Venecia 1574, t.4, 43s; PG 60 475.

²⁵² TEOFILACTO, *Epistolae D. Pauli ad Romanos expositio*, c.5, v.13s: PG 124 403.

²⁵³ AGUSTINUS, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, q.66: CCL 44A p.155s; PL 40 62.

²⁵⁴ AGUSTINUS, *De solutione quarundam quaestionum ex epistola Pauli ad Romanos*, q.1: Basilea 1569, t.4, col.619; PL 40 103.

multos sicut Adami peccatum posteritatem infecit, ut Paulus docet ad Rom 5 [15]; sed Christi Domini iustitia nihil prodest nisi cooperantibus per propios actus; ergo Adami peccatum nihil obest nisi iis qui peccando imitantur Adamum; ergo infantibus nullum erit peccatum, siquidem ante rationis usum non possunt Adamum imitari. RESPONDEO, ex Augustino, 1 De peccatorum meritis, cap.2²⁵⁵, minorem esse absolute falsam, quoniam parvulis per regenerationem baptismi, sine proprio actu personali, gratia confertur propter actiones meritorias Christi Domini, quae reputantur propriae parvulorum qui per baptismum uniuntur Christo; ita etiam in parvulis qui propagantur ex Adamo transfunditur originale peccatum sine actione personali illorum, quia Adami actio reputatur esse illorum, ut in superiori dubio.

5° ARGUMENTANTUR haeretici: quia si per generationem traduceretur originale peccatum sequeretur generationem esse peccatum, malum esse coniugium, parentes generantes et Deum concurrentem ad generationem et infundentem animam auctores esse peccati originalis; vel e contra daemonem auctorem esse generationis et hominis producti, et animam per [f.416] generationem traduci a parentibus et non creari ex nihilo. - Sed de his difficultatibus singillatim dicendum est in sectione de propagatione originalis peccati. Interim negatur sequela.

Dubitatur 4

Utrum privatio originalis iustitiae sit formalis ratio originalis peccati

Quoniam haeretici antiquiores nihil commentati sunt circa peccati originalis essentiam, de illa Patrum antiquorum libri siluere praeter Augustini qui pauca et ambigua docuit ut dicemus infra, dubio 6 vel sequenti. Immo Augustinus, De baptismo parvulorum, libro 3²⁵⁶, et epistola ad Hieronymum, q.26,

²⁵⁵ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis*, 1.3, c.2: PL 44 187.

²⁵⁶ AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum*, 1.3: PL 44 190.

ingenue fatetur se ignorare essentiam originalis²⁵⁷.

Sed circa annum Domini 1080 Anselmus Cantuariensis episcopus ad explicandam essentiam originalis peccati primus viam aperuit copiosa et fere scholastica disputatione, non minus feliciter quam modeste, nam in fine operis de Conceptu virginali et peccato originali profitetur se *non tam affirmando quam coniectando* fuisse loquutum²⁵⁸.

Quae monstra circa essentiam originalis huius temporis haeretici invexerunt, et improbables quorundam scholasticorum opiniones, ut Hugonis et Magistri ne multitudine obruant, refutabuntur in postrema huius sectionis parte a dubio 16 postquam auditorum mentes veritas occupaverit.

Igitur ex Theologis huius temporis, quamvis aliqui sentiant originalis iustitiae privationem non esse rationem formalem originalis peccati, verumtamen modo loquendi potius quam re ab Anselmo et communi sententia recedunt.

Inter hos est Taper in a.2 contra Lutherum, qui, quamvis § *Et quia ut diximus*, et § *Ex his videmus*, refutare videatur hanc definitionem originalis peccati; sed paulo post suam sententiam cum eadem definitione conciliat²⁵⁹, ut constabit infra a dubio 9 usque ad 12.

Praeterea Turrianus in epistola de originalis peccati definitione, pagina 8 et sequentibus²⁶⁰, hanc numerat inter malas definitiones originalis peccati; sed in re nihil a communi sententia dissidet, nam ex communi sententia haec definitio significat carentiam originalis iustitiae contractam non utcumque sed a nativitate propter peccatum primi parentis, quam Turrianus docet esse adaequatam definitionem originalis, ut dicemus infra dubio 8, diff. 8.

²⁵⁷ Cf *De origine animae hominis liber, seu epistola CLXVI ad Hieronimum*: PL 33 725 (n.10).

²⁵⁸ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.29: PL 158 464.

²⁵⁹ RUARDUS TAPER AB ENCHUSIA, *Explicationis articulorum... facultatis lovaniensis*, art.2: Amberes 1555, p.71.

²⁶⁰ TURRIANUS (FRANCISCO DE TORRES), SI, *De definitione propria peccati originalis... et de Conceptione Virginis et Matris Dei sine peccato...*: Salamanca 1582, fol. 8ss.

Insuper Medina, q.82, a.1, dubio 1, conclusione 5, voce tenus hanc definitionem reiicit, nam in re eandem concedit in dubio 2, conclusione 6²⁶¹; quod manifestius constabit quando explicatus fuerit modus quo privatio originalis iustitiae est privatio subiectionis et ordinis ad Deum, de quo infra, dubio 7 et 8.

Denique Zumel in q.82, a.3, disp.2²⁶², quamvis in q.5 et 6 probet originale peccatum non esse privationem originalis iustitiae; verumtamen [f.416v] praeter modum loquendi exiguum est illud quo Zumel recedit a communi sententia, quod impugnabitur infra, dubio 10 et 11; et quamvis illud verum esset non propterea excludenda erat haec definitio sed alio modo explicanda.

Privationem originalis iustitiae non esse formalem rationem originalis peccati, probari potest omnibus argumentis quae in sequentibus dubiis afferentur pro variis sententiis et erroribus; sed quae directe huc spectant sunt quae sequuntur.

1^{um} argumentum est quia per baptismi gratiam remittitur parvulis *totum id quod veram et propriam culpae rationem habet*, ut Tridentinum docet sessione 5, canone ultimo²⁶³; sed privatio iustitiae originalis non tollitur per baptismum; ergo privatio originalis iustitiae non est formalis ratio originalis peccati. Minor probatur quia alias per baptismum restitueretur originalis iustitia qua inferiores vires superioribus ita obtemperarent ut nec corpus molestiam afferret animo nec appetitus reniteretur rationi nec ratio posset venialiter peccare quamdiu non peccat mortaliter: haec enim omnia sunt effectus per se consequentes ex originali iustitia.

2^{um} argumentum est quia iustitiae originalis privatio est causa peccati originalis, ut D. Thomas docet in q.82, a.2 et 3; ergo non est de ratione formali illius.

3^{um}. Privatio iustitiae originalis est effectus et poena peccati,

²⁶¹ BARTOLOMÉ DE MEDINA, O.P., *Expositio in Primam Secundae...*, q.82, a.1: Venecia 1602, p.434s.

²⁶² FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V.DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.82, a.3, disp.2: Salamanca 1594, tomo 1, p.578.

²⁶³ Dz-Sch 1515.

est de ratione formali illius.

3^{um}. Privatio iustitiae originalis est effectus et poena peccati, ut D. Thomas docet infra, q.87, a.7²⁶⁴, et 2^a,2^{ae}, q.164, a.1 in corpore et ad 4²⁶⁵, et in q.5 De malo, a.4²⁶⁶; ergo non est de essentia originalis peccati. CONFIRMATUR quia ante privationem iustitiae originalis praecedit aliqua indignitas ratione cuius iuste privantur pueri originali iustitia; ergo illa indignitas erit originale peccatum et non privatio posterior, quoniam nulla indignitas prior est peccato.

4^o. Quia Deus non est auctor peccati originalis, et tamen est auctor privationis iustitiae originalis; ergo privatio iustitiae non est ratio formalis originalis peccati. Minor probatur, quia Deus solus potuit donum illud supernaturale conferre et conservare potuit etiam desistendo a suo concursu substrahere idem donum quod a nulla alia causa destrui poterat.

5^o. Quia peccatum originale est reatus culpae, indignitas, aversio a Deo, conversio ad bonum commutabile, inoboedientia primi parentis, transgressio divini praecepti origine transfusa, et obliquitas a rectitudine quam natura nostra deberet habere in ordine ad Deum; ergo non est privatio originalis iustitiae. [f.417]

6^{um} argumentum. Quia ex Augustino, 22 Contra Faustum, c.27²⁶⁷, et communi Theologorum, peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei; sed privatio originalis iustitiae non est dictum vel factum etc; ergo.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *privatio iustitiae originalis est formalis ratio peccati originalis.*

Ita docet Anselmus, De conceptu virginali, passim, praesertim vero cap.3, 22, 26 et cap. ultimo²⁶⁸; Albertus, 2, tract.18,

²⁶⁴ S. THOMAS, 1 2, q.87, a.7: ed.leon. 7, 129.

²⁶⁵ S. THOMAS, 2 2, q.167, a.1 c y ad 4: ed.leon. 10, 334s.

²⁶⁶ S. THOMAS, *De malo*, q.5, a.4: ed.leon. 23, 137.

²⁶⁷ AGUSTINUS, *Contra Faustum manichaeum*, 1.22, c.27: PL 42 418.

²⁶⁸ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.3, 22, 26, 29: PL 158 435, 453, 460, 462.

q.107, mem.3²⁶⁹; Alexander, 2 p., q.122, mem.2, a.3²⁷⁰; D. Thomas, q.82, a.3, et De malo, a.4²⁷¹, et 2, d.30, q.1, a.3²⁷²; D. Antoninus, 1 p., tit.8, c.1²⁷³; Gerson, 2 p., trac.8 De vitiis naturae et voluntatis sub initium alphab.28, littera L²⁷⁴; communiter Doctores, 2, d.30, ubi D. Bonaventura, a.2, q.1²⁷⁵; Ricardus, a.4, q.1²⁷⁶; Durandus, q.3, praesertim n.12 et 13 et 14²⁷⁷; Marsilius, q.19, a.3, conclusione 3²⁷⁸; Gabriel, q.1 fine et q.2 in opinione 3²⁷⁹; Maior, q.2²⁸⁰; Capraeolus, q.1, a.1, conclusione 4²⁸¹; Scotus, 2, d.32, § *Circa istam materiam*²⁸²;

²⁶⁹ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.3: ed. Vivès t.33, p. 290.

²⁷⁰ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.122, mem.2, a.3: 1516, fol.258.

²⁷¹ S. THOMAS, *De malo*, q.5, a.4: ed. leon. 23, 139, n.7.

²⁷² S. THOMAS, *In Secundum Sententiarum*, d.30, q.1, a.3: ed. Vivès 8,404b.

²⁷³ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 1, tit.8, c.1: Lyon 1529, fol.96b.

²⁷⁴ IOANNIS GERSON, *Compendium Theologiae, tract. octavus, de vitiis tam naturae quam voluntatis. De peccato originali: Opera*, t.2, Paris 1606, col.135s.

²⁷⁵ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, a.2, q.1: ed Quaracchi, 2, p.722.

²⁷⁶ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.4, q.1: Brujas, tomo 2, 1591, p.378.

²⁷⁷ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*. 1.2, d.30, q.3: Amberes 1566, f.183, nn.12, 13, 14.

²⁷⁸ MARSILIO DE INGHEN, *Quaestiones super quatuor libros Sententiarum*, 2, q.19, a.3, concl.3: 1.501, fol.309.

²⁷⁹ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.30, q.1 fine y q.2, opinio 3: Tubinga 1984, 1.2, p.561 y 565.

²⁸⁰ JOHN MAIOR, *In secundum Sententiarum*, d.30, q.2: Paris 1519, fol.38vb.

²⁸¹ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologiae Divi Thomae Aquinatis, In secundo Sententiarum*, d.30, q.1, a.1, concl.4: Turonibus 1903, t.4, p.331.

²⁸² JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.32, a.3: Quaracchi 1914, t.2, p.768.

Caietanus²⁸³ et Conradus hac q.82, a.3²⁸⁴; Ferrariensis, 4 Contra gentiles, c.52, § ultimo²⁸⁵; Soto, 1 De natura et gratia, c.9²⁸⁶; Didacus de Paiba, libro 3 Orthodoxarumm explicationum, axiomate 2, q.2, Quid sit originale; Bellarminus, tomo 3, libro 5, De statu peccati, c.7 fine et c.19 et 20²⁸⁷; Valentia, tomo 2, disputatione 6, q.12, puncto 1²⁸⁸. - Et Occam quotlibeto 3, q.1²⁸⁹, quem sequitur Almain, 3 Moraliu 19²⁹⁰, dicit hanc esse definitionem originalis peccati quod de facto est, nam originalis peccati quod fuisset aliter constituto primo parente sine gratia et originali iustitia alia est definitio, de qua dicemus infra, dubio 6, diffic. 7. Et quamvis Magister, 2, d.30²⁹¹, oppositum sentire videatur, caeterum ab scholasticis communiter ita explicatur ut vel invitus in hanc sententiam veniat, de quo praesertim videri potest Maior citatus.

Propter haec existimo hanc conclusionem non posse in re sine temeritate negari, cum tam frequenti scholasticorum calculo recepta sit et a nullo probato doctore huius temporis refutetur in

²⁸³ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.82, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.98.

²⁸⁴ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.82, a.3: Venecia 1589, p.649a.

²⁸⁵ TOMÁS DE AQUINO, *Summa contra gentiles cum commentariis Francisci de Sylvestris Ferrariensis*, 1.4, c.52: ed.leon. 15, 169s.

²⁸⁶ DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, 1.1, c.9: Salamanca 1554, fol.29.

²⁸⁷ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, 1.5, c.7, 19, 20: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.109s, 449, 451ss.

²⁸⁸ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum tomus secundus, complectens omnia 1 2 D. Thomae theoremata*, Disp.VI, q.XII (De quidditate peccati originalis), puncto 1: Lyon 1603, col.655.

²⁸⁹ VENERABILIS INCEPTORIS FRATRIS GUILHELMI DE OCKAM... *Quotlibeta numero septem. Quotlibet Tertii*, quaestio «nora», *Utrum Beata Virgo poterat stetisse in peccato originali tantum per instans*: Impressus Argentine anno Dni. MCCCCXCI.

²⁹⁰ ALMAIN, IACOBUS, *Aurea opuscula.. Moralia*, 1.3, dist. 19, q.1: Paris s.f., fol.53.

²⁹¹ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.30: Quaracqui 1916, t.1, p.464.

re, quamvis in voce a Doctoribus in principio citatis reiiciatur.

Ad conclusionem probandam praemitto —1° bifariam accipi nomem peccati: uno modo pro actione contraria praecepto, quae dicitur peccatum actuale; alio modo pro eo quod remanet in anima peccatoris post actionem transgressoris nondum dimissam per poenitentiam, quod appellatur habituale peccatum. Igitur si quis a nobis quaerat quid sit originale peccatum quod fuerit actio legi contraria respondebimus esse primam inoboedientiam Adami, non ut erat singularis persona sed ut gerebat personam totius humani generis, de quo dicendum est infra, dubio 15. Nam in praesenti non disputamus nisi de habituali peccato originali quod singulis hominibus ante baptismum inhaeret a quo non actualiter peccantes dicuntur sed habitualiter peccatores. —2°: quamvis in q.71, a.6, dubio 1, de solo actuali peccato fuerit expresse disputatum, nihilominus quae argumenta probant essentiam actualis peccati consistere in privatione boni, eadem proportione servata probant in privatione boni constituendam esse formalem rationem habitualis peccati sive personalis sive originalis: tum quia peccatum habituale est summum inter mala et a quo prorsus refugit potentia et voluntas Dei, ad quod requiritur [f.417v] privatio entitatis et bonitatis, ut ibidem explicatum est; tum etiam quia habituale peccatum licet aliquo modo sit effectus peccati actualis proprius tamen dicitur esse actuale peccatum durans non quantum ad esse reale actionis sed quantum ad esse morale privationis et imputabilitatis, ut explicabitur infra, dubio 14.

His suppositis PROBATUR CONCLUSIO sic: originale peccatum est privatio alicuius boni quod humana natura retinere debuisset sed illud amisit propter actuale peccatum Adami; sed nullum aliud bonum natura humana retinere debuisset et propter actuale peccatum primi parentis amisit nisi iustitiam originalem; ergo originale peccatum est privatio iustitiae originalis. MAIOR constat ex fundamentis praeiactis et magis constabit ex dubiis sequentibus, praesertim iis quibus probabimus nihil reale positivum esse formalem rationem originalis peccati. MINOR etiam constat quia sicut propter Adami peccatum nihil reale impressum est posteris quod non haberent a natura ipsa secluso omni peccato, ita nihil reale amiserunt quod humana natura postulet, ut constabit in

sequenti dubio et in sectione de poena originalis peccati; ergo per originale peccatum non est amissum bonum aliud quam iustitia originalis, quam assero debitam fuisse naturae humanae non sicut deberetur illi intellectus aut potentia visiva vel sonitus sed quatenus primus parens et nos in illo tenebamur originalem iustitiam conservare.

CONFIRMATUR 1^o, quia habituale personale peccatum consistit in privatione gratiae, quia illud est bonum quod homo servare tenebatur et per culpam amisit ut explicatur dubio [] et sequentibus; ergo similiter originale peccatum consistit in privatione originalis iustitiae quam naturae caput servare tenebatur et amisit. CONFIRMATUR 2^o, quia quod in Adamo, ut caput erat, culpae rationem habuit, illud in nos habitualiter transfusum erit originalis culpa; sed in Adamo ut capite habituale peccatum erat formaliter amissio iustitiae originalis totius naturae; ergo in nobis eiusdem iustitiae amissio, ut ex primo parente procedens, erit originale peccatum. Vide infra, dubio 11.

Ut conclusionem explicemus et aperiamus viam solvendis argumentis, notandum est privationem originalis iustitiae accipi posse dupliciter: 1^o quidem, minus proprie, ita ut privatio haec sit negatio originalis iustitiae in homine qui ex se capax est recipiendi illam si a Deo infundatur; 2^o modo, privatio perfectissima originalis iustitiae, ultra praedictam negationem addit proprium et verum debitum morale habendi iustitiam nunc, ita ut sicut in actuali peccato privatio proprie sumpta dicit negationem honestatis quam habere deberet homo debito humano et morali, ita haec privatio originalis iustitiae sit negatio iustitiae quam natura humana debito morali deberet habere, ita ut actualiter maneat obligatio habendi iustitiam, et violatio huius obligationis.

Haec doctrina colligitur ex Anselmo, libro De conceptu virginali, cap. ultimo²⁹², et expresse traditur a plerisque doctoribus citatis in hoc dubio et supra, dubio 3, argumento 3. Verum de obligatione habendi iustitiam quae parvulis inest, magis ex

²⁹² ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*: PL 158 462.

professo disputat Scotus 2, d.32, § *Quantum ad secundum*²⁹³.

Propter haec reiiciendus est Almain, 3 *Moralium*, c.19²⁹⁴, ubi ait debitum habendi iustitiam origina- [f.418] -lem non esse debitum praecepti sed statuti. Cuius additio opponit statim, quoniam ad rationem culpae non sufficit debitum statuti sed necessarium est debitum praecepti, cui argumento nihil respondet notatu dignum.

Ad 1^{um} argumentum RESPONDEO 1^o, distinguendo minorem: nam privatio iustitiae originalis improprie accepta pro negatione iustitiae originalis, non tollitur per baptismum, et haec non est formalis ratio peccati originalis; at vero per baptismum tollitur privatio originalis iustitiae propriae accepta, quia iam in illis pueris non manet moraliter imputabilis obligatio habendi iustitiam per oboedientiam capitis, et transgressio illius obligationis per inoboedientiam, quod pertinet ad rationem formalem perfectissimae privationis. - Quod explicatur quia si aliquis homo crearetur sine originali peccato et sine iustitia originali, in illo non esset proprie privatio iustitiae originalis quia nulla obligatione tenebatur habere iustitiam; sed pueri post baptismum ita se habent in esse moralis aestimationis ac si numquam habuissent obligationem retinendi iustitiam originalem et numquam violassent illam obligationem in primo parente; ergo in illis non est propria ratio privationis iustitiae. Ita fere Anselmus, capite ultimo citato²⁹⁵.

RESPONDEO 2^o, licet baptismus non restituat omnia quae ad originalem iustitiam pertinebant, dici tamen potest originalem iustitiam restitui, quia recuperatur gratia, charitas et reliquae virtutes quibus homo redditur simpliciter iustus et mens Deo subiicitur, quod praecipuum erat in originali iustitia, ut magis constabit in dubio 7.

Ad confirmationem RESPONDEO 1^o: ille qui gratiam baptismi

²⁹³ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.30-32, a.3: Quaracchi 1914, t.2, p.770.

²⁹⁴ *Moralia acutissimi Theologiae professoris magistri Iacobi Almain senonensis*, tractatus tertius de virtutibus moralibus..., c.19: Paris, s.f., fol.71v.

²⁹⁵ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.29: PL 158 462.

per mortale peccatum amittit non habet proprie privationem iustitiae originalis, quia non tenetur habere iustitiam originalem nec imputatur illi obligatio et transgressio primi parentis, ut in 1^a solutione dictum est. RESPONDEO 2^o: haec privatio originalis iustitiae quae constituit originale peccatum non est accipienda sine ordine ad peccatum capitis ratione cuius amissa est iustitia, ut dicemus in dubio 12, conclusione 2. Et hoc modo accepta privatio originalis iustitiae numquam redditur postquam semel iustificatum est homo.

Ad 2^{um} RESPONDEO: manifesta est mens D. Thomae ut privatio iustitiae sit causa formalis peccati originalis, ac proinde sit ipsa essentia illius, quae eadem causa est quasi movens et efficiens per accidens removendo prohibens respectu concupiscentiae quae est materiale in peccato originali; sed de ipsa et de explicatione Sti. Thomae dicemus infra, dubio 6 et 7 et 8.

Ad 3 RESPONDEO 1^o: privatio iustitiae originalis effectus est peccati actualis commissi ab Adamo nomine totius posteritatis, et praeterea poena est eiusdem peccati; verumtamen simul etiam est culpa habitualis sicut quodlibet habituale peccatum non solum est proprie culpa sed etiam poena est et effectus actualis peccati. Pro quo sciendum est privationem gratiae vel iustitiae originalis [f.418v] si accipiatur secundum formalissimam rationem voluntariae et liberae culpae habitualis, ut sic non habere rationem poenae; si vero accipiatur ut est carentia alicuius maximi boni, quae carentia aliquo modo est contra voluntatem non solum personae sed etiam naturae, quatenus Adamus vellet si posset retinere iustitiam et simul manducare cibum vetitum; et ut sic carentia iustitiae est poena sicut in quolibet peccatore poena est carentia gratiae. Imo dici etiam potest actuale peccatum, sub una ratione minus formali acceptum esse poenam sui ipsius accepti sub alia ratione formali, de quo dicendum est infra, q.87, a.2.

Hinc RESPONDEO ad confirmationem: nulla indignitas originalis iustitiae praecedat privationem iustitiae originalis proprie acceptam secundum rationem voluntariae et imputabilis culpae; quamvis haec ipsa indignitas aliquo modo prior sit quam carentia gratiae ut est contra voluntatem personae vel naturae; loquor autem de indignitate quae pueris insit, nam extra pueros in primo

parente constat praecessisse indignitatem actualis peccati.

RESPONDEO 2^o ad principale argumentum: iustitia originalis duas partes habebat, alteram ratione cuius mentem subiiciebat Deo, alteram ratione cuius carnem subiiciebat menti; et privationes harum partium ita se habent ut privatio iustitiae subiicientis mentem Deo sit ratio formalis peccati originalis et causa quasi efficiens secundae privationis; at vero privatio iustitiae subiicientis carnem menti sit quasi pars materialis peccati originalis et effectus illius, quae pars proprius habet rationem poenae quam prior, quia est magis molesta et contraria voluntati, quae fert graviter et invita patitur contumacem servum. Et de hoc supplicio loquitur Augustinus saepe, praesertim 3 De Trinitate, c.13, et libro 14, c.15²⁹⁶, et libro 15, c.6²⁹⁷, et libro 1 De nuptiis et concupiscentiis, c.6²⁹⁸, et libro 5 In Iulianum, c.5²⁹⁹; et D. Dionysius, c.3 De Ecclesiastica Hierarchia, longe post medium³⁰⁰.

Ad 4 RESPONDEO distinguendo minorem: nam privatio iustitiae originalis, ut est mera negatio iustitiae in subiecto habente potentiam oboedientialem ad illam, potest Deo ut auctori tribui propter rationem adductam in argumento, sicut etiam in quolibet peccatore privatio gratiae causatur a Deo quantum ad meram negationem gratiae in anima; quod confirmo ex praecedentibus solutionibus argumentorum: nam haec negatio iustitiae habet quandam rationem poenae et non habet veram rationem culpae; ergo Deus potest esse auctor illius. At vero privatio originalis iustitiae proprie accepta, cum debito et obligatione habendi illam, et privationem observantiae illius obligationis, ut sic, manifestum est non esse a Deo sed ab hominibus, ut in Adamo peccaverunt, sive quod idem est, ab Adamo ut capite omnium hominum.

Adde quod negationis gratiae et iustitiae in anima Deus quamvis sit causa physica non concurrendo, verum non est causa

²⁹⁶ AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. 14, c.15: CCL 50a p.450; PL 42 1052.

²⁹⁷ AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l. 15, c.6: CCL 50a p.457; PL 42 1060.

²⁹⁸ AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.6: PL 44 417.

²⁹⁹ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, l.5, c.5: PL 44 756s.

³⁰⁰ PSEUDODIONISIO, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3; PG 3 439s.

determinans se ad illum effectum nisi ut determinatur a demerito nostro ac proinde illa privatio non Deo sed nobis tri- [f.419] - buenda est.

Sed URGET Zumel in q.82, a.3, disp.2, conclusione 4 sub finem, et in conclusione 5³⁰¹, quia Deus causat privationem iustitiae originalis ut poenam peccati originalis; ergo illa causa ut ordinem dicit ad demeritum primi hominis; ergo causat illam etiam sub ratione formali privationis. CONFIRMAT exemplo visionis beatae, quam, quia Deus causat ut est boni operis praemium, causat etiam in ordine ad meritum. RESPONDEO: in negatione iustitiae originalis duplex ordo est ad peccatum actuale primi parentis: alter ordo est quo est formaliter poena illius, et hic ordo potest intendi et causari a Deo; alter ordo est ratione cuius homo est formaliter inimicus et dignus odio Dei propter praecedentem inoboedientiam capitis, et hic ordo non potest intendi nec causari a Deo.

Quomodo autem Deus non sit auctor originalis peccati, licet animam creet et infundat corpori a quo necessario culpam originalem contrahit, dicemus in sectione de traductione originalis peccati.

Ad 5 RESPONDEO: illa omnia attributa aut definitiones originalis peccati, si recte intelligantur non pugnant cum privatione iustitiae originalis, sed potius exiguntur ad plenam illius explicationem, ut constabit a dubio 7 usque ad 14.

Ad 6 RESPONDEO illam definitionem pertinere directe et immediate non ad peccatum habituale sed ad peccatum quod est actus; et peccatum in hac acceptione reperitur etiam in originali, ut dicemus infra dubio 15; et de illo ita verificatur definitio ut cibus gustatus et concupitus a nobis in Adamo contra praeceptum Dei sit peccatum actuale humanae naturae. Si autem ea definitio referatur etiam ad peccata habitualia singulis hominibus inhaerentia, sic explicanda est ut peccatum habituale sit dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei non quidem actu transiens sed

³⁰¹ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V. DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.82, a.3, disp.2, conclus.4 y 5: Salamanca 1594, tomo 1, p.588s.

habitualiter permanens in morali imputatione privationis iustitiae propter actum capitis, ut infra, dubio 14.

Dubitatur 5

Utrum originale peccatum includat formaliter privationem alicuius doni supernaturalis

Cum in praecedenti dubio constitutum sit peccatum originale esse privationem originalis iustitiae oportet huius doni essentiam investigare, de quo diversae sunt apud Doctores sententiae.

Sed prius reiiciamus haereticos huius temporis, praesertim Calvinum et Luterum qui existimant nullum supernaturale donum amissum esse propter inoboedientiam [f.419v] primi parentis sed amissum esse aliquod bonum tam debitum et naturale homini ut naturale est oculis lumen recipere.

Sed dissident quia Calvinus propter primi parentis peccatum dicit posteros omnes amisisse liberum arbitrium, sed Luterus ait cognitionem Dei, fidem et dilectionem fuisse naturalem Adamo et eam amissam fuisse. Vide Bellarminum tomo 3, Controversia 1, libro unico, cap.1³⁰².

Aliqui Doctores catholici quamvis fateantur supernaturalia dona amissa esse per originale peccatum, verumtamen existimare videntur originale peccatum non consistere formaliter in privatione alicuius doni supernaturalis sed tantum in privatione virtutum et donorum naturalium; quia existimant in iustitia originali contineri virtutes quae supernaturaliter infusae fuerint Adamo quamvis ex suo genere naturales essent et nullam virtutem aut donum ex se supernaturale includi in originali iustitia.

Ita videtur sentire Hugo de Sancto Victore, tomo 3, tractatu de sacramentis fidei, libro 1, parte 6, cap.17³⁰³; Alexander, 2

³⁰² ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l.unico, c.1: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.169.

³⁰³ HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis*, libro 1, p.6, c.17: PL 273s.

p., q.96, mem.1, fuse³⁰⁴, et q.122, mem 2, a.3³⁰⁵; Guillelmus Parisiensis obiter in tractatu de legibus, cap. de sacrificiis et sacramentis col. 10³⁰⁶; D.Bonaventura 2, d.29, q.2, a.2, et d.30, a.2, q.1³⁰⁷.

Idem sentit licet non adeo expresse Albertus, 2 p., tractatu 18, q.107, mem.3³⁰⁸. Eandem sententiam tribueremus Molinae, in Concordia, q.14, a.13, disp.3 prope finem³⁰⁹, nisi se explicuisset in 1 parte disp. 27, De opere sex dierum, conclusione 6³¹⁰. Eadem sententia Scoto tribuitur a Soto, in 1 De natura et gratia, c.5, col.4³¹¹, sed falso, ut constabit infra, in probatione 3.

Quod si petas unde colligitur Doctores citatos existimare iustitiam originalem nihil supernaturale includere. RESPONDEO: quia supponunt id quod apud omnes compertum est: primum hominem creatum esse cum originali iustitia secundum illud Eccle 7 [30], *Deus fecit hominem rectum*, quod ex aliis Sacrae Scripturae testimoniis deduci potest. De quo videri potest Pererius libro 5 in Genesim, disp. ultima³¹²; at vero Doctores citati dicunt primum hominem creatum esse sine donis supernaturalibus; ergo admittunt iustitiam originalem sine ullo dono supernaturali.

Huic sententiae proxima est alia quae Caietano, Ferrariensi,

³⁰⁴ ALEJANDRO DE ALES, *Summa Theologiae*, p.2, q.96, mem.1: 1516, fol.183v, 184, 185a.

³⁰⁵ ID., *ibid.* q.122, mem.2, a.3: fol.257.

³⁰⁶ GULIELMI ALVERNI, EPISCOPI PARISIENSIS, *De De legibus*, c.1: Opera omnia, Ambiani 1674, t.1, p.22s.

³⁰⁷ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.29, a.2, q.2: ed Quaracchi, 2, p.703s; *Ibid.*, d.30, a.2, q.1: *ibid.*, 722s.

³⁰⁸ ALBERTO MAGNO, OP, *Summa Theologiae*, 2 p., q.107, mem.3: ed. Vivès t.33, p. 290s.

³⁰⁹ LUIS DE MOLINA, S.I., *Liberi arbitrii cum Gratiae donis...Concordia*, q.14, a.13, disp.3: Amberes 1595, p.13.

³¹⁰ LUIS DE MOLINA, S.I., *De opere sex dierum*, Disp.27, 1 p. concl.6: Cuenca 1592, col.2068.

³¹¹ DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, l.1, c.5: Salamanca 1554, fol.13.

³¹² BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp.de quarta excellentia status innocentiae.: Lyon 1599, p.597s.

Soto et Medinae adscribitur a Zumel in q.82, a.3, disp.2, opinione 1, et conclusione 1³¹³, et in opinione 3 eandem falso adscribit Scoto³¹⁴, scilicet, originale peccatum esse privationem iustitiae originalis quatenus iustitia sanabat naturam hominis in ordine ad finem naturalem tantum. Argumenta quae ibi referuntur a Zumel non probant ordinem ad solum finem naturalem sed tantum probant privationem subiectionis ad Deum et debitum habendi iustitiam originalem, quae omnia conceduntur a nobis. Potuit autem haec sententia colligi ex alia Pererii dicentis originalem iustitiam perficere hominem solum in ordine ad naturalem finem, de qua opinione dicemus plura, infra, dubio 7. [f.420]

1^{um} argumentum, Hugonis, est quia nullo argumento firmo ex auctoritate sanctorum aut ex ratione petito probari potest Adamum ornatum fuisse charitate aut alia virtute supernaturali.

2^{um} argumentum, Alexandri et Bonaventurae³¹⁵: quia ordo divinae sapientiae, bonitatis et iustitiae postulabat ut homo prius crearetur cum originali iustitia et sine ullo supernaturali dono, et postea ornaretur supernaturalibus donis. Quod PROBANT, quia dona supernaturalia sunt alterius ordinis; ergo diverso tempore conferenda. CONFIRMANT 1^o, quia sic experientia disceret homo supernaturalia dona sibi non esse debita quo humilitatem et gratitudinem facilius conservaret. CONFIRMANT 2^o, quia usus liberi arbitrii per naturales virtutes quodammodo disponderet hominem ad supernaturalia dona recipienda. Adiungunt iidem Doctores similes alias congruentias.

3^{um} argumentum addere possumus: quia si iustitia originalis esset supernaturalis sequeretur etiam inde naturalia esse ea omnia quae sublata originali iustitia in homine remanserunt ac proinde naturales erunt concupiscentia carnis, membrorum rebellio, ignorantia mentis, difficultas boni, proclivitas ad malum et alii

³¹³ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V. DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.82, a.3, disp.2, opinio 1, concl.1: Salamanca 1594, tomo 1, p.578, 584.

³¹⁴ Ibid. p.582.

³¹⁵ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.29, a.2, q.2: ed Quaracchi, 2, p.703.

defectus humanae naturae; consequens autem falsum esse probatur quia saepe in Sacra Scriptura damnatur concupiscentia, et Patres passim docent reliquos defectus esse originalis peccati vulnera et iustam illius poenam; et Tridentinum, sess.5 docet, propter originale peccatum hominem secundum animam et corpus esse mutatum in deterius; ergo hi defectus non sunt homini naturales.

CONFIRMATUR 1^o, quia si hi defectus naturales essent, essent etiam boni et propterea non accusandi.

CONFIRMATUR 2^o, quia peccata ad quae inclinant, concupiscentia, rebellio et ignorantia, tribuenda essent Deo si Deus auctor esset concupiscentiae et rebellionis.

CONFIRMATUR 3^o, quia carnis impetus magis rebellis est post peccatum quam sine peccato foret in puris naturalibus seclusa omni gratia.

4^{um} ARGUMENTUM desumitur ex auctoritate D. Leonis, sermone 13 de Passione³¹⁶, ubi primi parentis innocentiam appellat naturalem. Atque ad eandem rationem adduci possent plura testimonia Augustini quae a nobis infra explicabuntur variis in locis, et Bellarminus explicat tomo 3 Controversiarum 1, libro unico, cap.7³¹⁷.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *originale peccatum essentialiter est privatio alicuius doni supernaturalis et gratuiti quod non quoad modum producendi tantum sed etiam essentialiter et per se fuerit supernaturale*. Oppositum huius conclusionis iam non caret aliqua temeritate.

PROBATUR 1^o, quia originale peccatum est privatio iustitiae originalis; sed iustitia originalis est donum [f.420v] supernaturale et gratuitum collatum a Dei liberalitate, et non debitum humanae naturae; ergo peccatum originale est privatio doni supernaturalis et gratuiti. MAIOR CONSTAT ex praecedenti dubio. MINOREM autem PROBO, 1^o quoniam a iustitia originali proveniebat integritas

³¹⁶ LEÓN MAGNO PAPA, *Sermones*, Sermo 13 de Passione: Lovaina 1577, p.272; PL 54 365.

³¹⁷ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l.unico, c.7: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.188.

primae conditionis et exaltatio ad consortium divinae naturae; et tamen hanc integritatem et exaltationem naturalem esse et debitam humanae naturae asserentes damnati sunt a duobus Summis Pontificibus Pio V et Gregorio XIII, ut refert Bellarminus, tomo 3 Controversiarum 1, libro unico, cap.1³¹⁸.

2^o PROBATUR, quia Sancti Patres communiter, dum investigant causas ob quas primi parentes licet nudi essent in statu innocentiae non erubescabant, et tamen amissa per peccatum innocentia erubuerunt rationem reddunt, quia per peccatum amissa est vestis super naturam veniens sive ex divina gratia collata; itaque supponunt innocentiam fuisse supernaturalem, nam ad innocentiam pertinet illa perfecta subiectio membrorum, ratione cuius nihil exurgeret pudore dignum. Ita loquitur Chrysostomus, homilia 15 in Genesim³¹⁹; Ambrosius, libro de Isaac et anima, c.5³²⁰, et libro 2 de Iacob et beata vita, c.5³²¹, et libro de Paradysso, c.14³²²; D. Augustinus, 13 De Civitate, c.13³²³, el libro 11 De Genesi, c.31³²⁴, et libro 4 in Iulianum, c. ultimo³²⁵. CONFIRMATUR, quia alii Patres agentes de ornamentis quae Adamus in prima conditione accepit et per inoboedientiam perdidit dicunt illa fuisse gratiam. Ita D. Cyrillus, libro 1 in Ioannem, c.9 et c.13³²⁶, et libro De adoratione in spiritu, ante medium³²⁷; Anselmus, De conceptu Virginali, c.22³²⁸; et colligitur ex

³¹⁸ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l.unico, c.1: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.169.

³¹⁹ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia 15 in Genesim*: PG 53 123.

³²⁰ AMBROSIO, *De Isaac et anima liber unus*, c.5: PL 14 542s.

³²¹ ID., *De Jacob et beata vita libri duo*, 1.2, c.5: PL 14 653.

³²² IDEM. *De Paradiso liber unus*, c.14: PL 14 327.

³²³ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.13, c.13: CCL 48 395, PL 41 386.

³²⁴ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, 1.11, c.31: PL 34 445s.

³²⁵ AUGUSTINUS, *Contra Iulianum, haeresis pelagianae defensorem, libri sex*, 1.4, c.16: PL 44 779ss.

³²⁶ CIRILO ALEJANDRINO, *In Ioannis Evangelium*, 1.1, c.9 y 13: PG 73 123-146; 154-158.

³²⁷ CIRILO DE ALEJANDRÍA, *De adoratione in spiritu et veritate*, 1.2: PG 68 247.

³²⁸ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, c.23: PL 158 456.

Bernardo, in sermone 1 De Annuntiatione³²⁹.

3^o PROBATUR, quia iam communis scholasticorum consensus docet supernaturale donum fuisse rectitudinem iustitiae originalis non solum qua parte mentem Deo subiiciebat sed etiam qua parte inferiores vires appetitus et membrorum ad nutum rationis moderabatur. Ita docet Altissiodorensis, libro 2, tract. 10, De statu hominis, c.1, q.3, paulo post initium, et in fine, et q.4³³⁰; D. Thomas, 4 Contra gentiles, c.52³³¹, et 1 p., q.95, a.1³³², et q.4 De malo, a.1³³³, et in 2, d.31, q.1, a.1³³⁴; D. Antoninus, 1 p., tit. 8, c.1, licet non satis expresse³³⁵; et Scotus, obscure et sub dubio, 2, d.29, q. unica³³⁶; sed clarius Ricardus, 2, d.30, a.3, q.1³³⁷; Durandus, 2, d.20, q.5, et d.30, q.1³³⁸; Rainelius, 2 p., verbo *peccatum*, c.27; Occam, quodl. 3, q.10³³⁹, quem sequuntur Almain, 3 Moraliū, c.19³⁴⁰; Marsilius, in 2, q.16,

³²⁹ BERNARDO, *In Annuntiatione B. Mariae*, sermo 1: Opera omnia, Amberes 1620, col.125s.

³³⁰ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *Summa Aurea*, l.2, tract.10, c.1, q.3; q.4: (Incunabile de la B. Vatic.) fol.64r; fol.64v.

³³¹ S. THOMAS, *Summa contra gentiles*, l.4, c.52: ed.leon. 15, 162s.

³³² S. THOMAS, 1 p., q.95 c: ed.leon. 5, 420.

³³³ S. THOMAS, *De malo*, q.4, a.1: ed.leon. 23, 105 b.

³³⁴ S. THOMAS, *Commentum in librum secundum Sententiarum*, d.31, q.1, a.1: ed.Vivès 8 420s.

³³⁵ ANTONINO DE FLORENCIA, *Summa*, tomo 1, tit.8, c.1: Lyon 1529, fol.96b.

³³⁶ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, l.2, d.29, q. Unica: Quaracchi 1914, t.2, p.737.

³³⁷ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.3, q.1: Brujas, tomo 2, 1591, p.376.

³³⁸ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*. l.2, d.20, q.5; d.30, q.1: Amberes 1566, f.165; f.181v.

³³⁹ *Quodlibeta septem una cum tractatu de sacramento altaris Venerabilis inceptoris fratris Guilhelmi de Ocham anglici, sacrae theologiae magistri, de ordine fratrum minorum* Quodlibet 3, q.decima: Strasbourg 1491 (reimpresión Lovaina 1962).

³⁴⁰ *Moralia... magistri Iacobi Almain senonensis*, tract. tertius de virtutibus moralibus..., c.19: Paris, s.f., fol.71v.

sub finem, § *Ad rationem factam pro quaesito*³⁴¹ et q.18 et 19³⁴²; Gabriel, 2, d.30, q.1, a.2, concl. 3³⁴³, ubi Maior, q.1, concl.3³⁴⁴; Capraeolus, q.1, a.1³⁴⁵; Conradus³⁴⁶ et Caietanus 1^a 2^{ae}, q.85, a.3 et a.6³⁴⁷, ubi alii expositores communiter, et 1 p., q.95, a.1³⁴⁸; Ferrariensis, 4 Contra Gentiles, c.52³⁴⁹; Driedo, 1. 1 De gratia et libero arbitrio, c.3, p.4 fine³⁵⁰; Ruardus, in Defensione, a.2, praesertim postquam incipit explicare 4^{am} opinionem, D. Thomae³⁵¹; Vega, libro 2 in Tridentinum, c.2³⁵²; Soto, De natura et gratia, libro [f.421] 1, c.5 et c.13³⁵³; et Bellarminus, tomo 3, praesertim Controversia 1,

³⁴¹ MARSILIO DE INGHEN, *Quaestiones super quattuor libros Sententiarum*, 2, q.16, a.6: 1.501, fol.208a.

³⁴² *Ibid.* fol. 294 y 303.

³⁴³ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.30, q.1, a.2, concl.3: Tubinga 1984, 1.2, p.558.

³⁴⁴ JOHN MAIOR, *In secundum Sententiarum*, d.30, q.1, concl.3: Paris 1519, fol.37rb.

³⁴⁵ JUAN CAPRAEOLUS, *Defensiones theologiae Divi Thomae Aquinatis, In secundo Sententiarum*, d.30, q.1, a.1: Turonibus 1903, t.4, p.327s.

³⁴⁶ CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.85, a.3 y a.6; Venecia 1589, p.672s y 678.

³⁴⁷ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a 2^{ae}, q.85, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.113; *ibid.*, a.6: p.117.

³⁴⁸ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a p., q.95, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.5, p.421.

³⁴⁹ TOMÁS DE AQUINO, *Summa contra gentiles cum commentariis Francisci de Sylvestris Ferrariensis*, 1.4, c.52: ed.leon. 15, 166.

³⁵⁰ IOANNES DRIEDO A TURNHOUT, *De gratia et libero arbitrio liber I*, c.3, parte 4^a: Lovaina 1566, tomo 3, f.132a.

³⁵¹ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... facultatis... lovaniensis*, art.2: Lovaina, 1555, p.133.

³⁵² VEGA, ANDRÉS, *De iustificacione doctrina universa libri XV*, 1.2, c.2: Colonia 1572, p.14.

³⁵³ DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, 1.1, c.5 y 13: Salamanca 1554, fol.13 y 4.

libro unico, capite 2³⁵⁴, et alii iuniores citandi pro conclusione 2 et in dubio sequenti.

PROBATUR 4, quia supernaturalem fuisse dignitatem in qua homo conditus fuit ut praeesset caeteris animantibus ostendit admiratio Davidis comparantis honorem cum persona illis verbis Ps 8 [5] *quid est homo quod memor es eius: minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius oves et boves universa etc.* Et quod de honore amisso per originale peccatum loquatur propheta colligitur ex Ps 48 [13] *homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.*

5^o COLLIGITUR ex 7^o capite Eccle fine, *Deus fecit hominem rectum et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*; ergo antequam homo per inoboedientiam amitteret originalem iustitiam nullis impeditus erat difficultatibus ignorantiae aut concupiscentiae, quae hic quaestionum nomine significantur, sed suos omnes appetitus et membra placide et sine difficultate gubernabat ut communiter docent Patres, praesertim Augustinus, 14 De civitate, c.17³⁵⁵; Prosper, libro 2 De vita contemplativa, c.18; Hugo de S. Victore, tomo 3, tractatu de sacramentis fidei, libro 1, p.6³⁵⁶; et Anselmus, libro De conceptu Virginali³⁵⁷, et alii Patres explicantes caput Gn 2.

Unde sic conficitur argumentum: difficultates ignorantiae et concupiscentiae proveniunt ex natura hominis; ergo supernaturale donum erat originalis iustitia quae ab illis difficultatibus liberabat. PROBATUR antecedens, quia homo ex natura sua nihil potest nisi per sensus cognoscere, unde fit ut intellectus expositus sit multis erroribus, non solum circa spiritualia sed etiam circa corporis quidditates, et voluntas magis alliciatur ab obiectis sensibilibus

³⁵⁴ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l. unico, c.2: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.170ss.

³⁵⁵ AUGUSTINUS, *De civitate*, l.14, c.17: CCL 48 439, PL 41 425.

³⁵⁶ HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis*, libro 1, p.6, *De creatione hominis et statu eius ante peccatum*: PL 176 263.

³⁵⁷ ANSELMUS, *De conceptu Virginis*, v.c. c.2: PL 158 434.

quae evidentius, frequentius et facilius cognoscuntur.

CONFIRMATUR 1^o, quia quamvis per virtutes acquisite perficiantur intellectus et voluntas, numquam tamen eo pervenire possunt naturaliter ut nullam difficultatem sentiant.

CONFIRMATUR 2^o et efficaciter: quia auxilia supernaturalia quae modo de lege ordinaria conferuntur iustis, sunt ex natura sua potentiora ad servandam legem Dei et perseverandum sine mortali quam omnes vires naturales vel quae naturaliter acquiri possunt, et tamen non sufficiunt ad perseverandum longo tempore sine speciali auxilio; sed iustitia originalis sufficiens erat ad perseverandum sine peccato mortali longo tempore sine alio speciali auxilio praeter vires ipsius iustitiae originalis; ergo iustitia originalis a fortiori erit donum supernaturale. ANTECEDENS quoad duas priores partes certum est et pertinet ad materiam de gratia; et ultima propositio antecedentis traditur ab Augustino et Scholasticis communiter, et videri possunt de illa Soto, 1^o De natura et gratia, c.6, propositione 5^a358; Bellarminus, tomo 3 Controversiarum 1, libro unico, c.4³⁵⁹; Molina, in Concordia, q.14, a.13, disp.4³⁶⁰.

CONFIRMATUR 3, Eccli 17 cap. [5s], ubi de primis parentibus dicitur *disciplina intellectus replevit [f.421v] illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor eorum*, ubi non solum naturalis sed etiam supernaturalis cognitio videtur tribui primis parentibus, ut sentiunt communiter Theologi et videre licet apud D. Thoma et eius expositores, 1 p., tota q.94³⁶¹; Molina, De opere sex dierum, disp.25 et 26³⁶²; et fusius apud Pererium, tomo 1 in Genesim, libro 5, disputatione 1, quae est de scientia

³⁵⁸ DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, l.1, c.6, proposit. 6: Salamanca 1554, fol.21s.

³⁵⁹ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l.unico, c.4: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.176s.

³⁶⁰ LUIS DE MOLINA, S.I., *Liberi arbitrii cum Gratiae donis...Concordia*, q.14, a.13, disp.4: Amberes 1595, p.14.

³⁶¹ TOMÁS DE AQUINO, 1 p., q.94: ed.leon. 5, 413-419.

³⁶² LUIS DE MOLINA, S.I., *De opere sex dierum*, Disp.25, 26: Cuenca 1592, cols.2048-2057.

Adami³⁶³, et disputatione 2, quae est de cognitione rerum supernaturalium³⁶⁴.

6^o COLLIGITUR ex eodem capite 17 Eccli: *Deus creavit hominem de terra et secundum se vestivit illum virtute*, ubi vestimentum virtutis Deo similis pertinere videtur ad supernaturalia dona virtutum, cui consonat illud cap.1 Gn [27] *creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam*, ubi imaginem ad intellectum et voluntatem, similitudinem vero ad sapientiam et iustitiam referendam esse docet communis expositio sanctorum ut Irenaei, Cypriani, Ambrosii, Basilii, Chrysostomi, Augustini, Eucherii, Damasceni, Origenis, Gregorii Nysseni, Victorini, Theofrasti, Bernardi, D. Thomae et Magistri, quorum plures citat Pererius, libro 4 in Genesim ad illa verba *ad imaginem et similitudinem suam*³⁶⁵ et multorum verba adducit Bellarminus, tomo 3, Controversiarum 1, libro unico, c.2³⁶⁶.

Sed quia plerique ex his Patribus non dicunt aperte similitudinem referendam esse ad virtutes supernaturales, quin potius aliqui Doctores referunt ad eam similitudinem quae ex genere adquiri potuissent humana industria per naturalem virtutem, inter quos est Hugo de Sto. Victore, tomo 3 De sacramentis fidei, lib.1, p.6, c.2, iuncto cap.17³⁶⁷, et manifestius D. Bonaventura, 2, d.29, q.2, a.2³⁶⁸; propterea notandum est ab Anacleto Papa, in epistola 1 Decretali, similitudinem intelligi in gratia et charitate sicut Deus charitas est. Eodem modo intelligit Rupertus in 2 libro de

³⁶³ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp.1: Lyon 1599, p.528.

³⁶⁴ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp.4: Lyon 1599, p.537-545.

³⁶⁵ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 4, disp. «Ad imaginem et similitudinem nostram»: Lyon 1599, p.365.

³⁶⁶ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Gratia primi hominis*, l.unico, c.2: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.170ss.

³⁶⁷ HUGO DE SAN VICTOR, *De Sacramentis*, libro 1, p.6, c.2 y c.17: PL 176 264 y 273s.

³⁶⁸ BONAVENTURA, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, 2, d.29, a.2, q.2: ed Quaracchi, 2, p.703.

Trinitate, cap.2³⁶⁹, et Altissiodorensis citatus in probatione; et videtur esse eiusdem sententiae Ambrosius libro 6 Exaameron, c.7³⁷⁰. Quod ex Pauli ad Colosenses 3, et ad Ephes.4, et testimoniis sanctorum probabilius fiet in sequenti dubio, conclusione 1, probatione 2, et dubio 8, difficultate ultima. Nec oppositum convincunt rationes Pererii citati, quoniam eadem vox quandoque retinet vim et proprietatem diversam ab alia voce, quandoque idem quod altera significat ut materia subiecta postulat.

7^o, efficacius COLLIGITUR ex effectibus iustitiae et peccati originalis. Nam si effectus iustitiae originalis erat supernaturalis, ipsam etiam iustitiam oportet supernaturalem fuisse, atque si effectus originalis peccati nihil adimit naturale, nec ipsum originale peccatum erit privatio alicuius boni naturalis; constat autem hominem ex natura sua mortalem esse, quod illi denuntiat *Gn 3 [19] pulvis es et in pulverem reverteris*, cuius sententiae primum membrum indicat naturam hominis, et secundum ostendit spoliatam esse iam dono immortalitatis quo *Deus hominem fecit inexterminabilem*, Sapientiae 2 [23]. Quam sententiam tradit expresse Dionysius, De ecclesiastica Hierarchia, cap.3 longe post medium³⁷¹, ubi postquam docuit originalis peccati [f.422] fructus fuisse rebellionem appetitus et mortem, subiungit: *proprium autem principium habens in corruptibilibus generationibus ad principii consequentem merito ducta es finem*. Loquitur autem de humana natura, et sensus est, ut ibi exponit Chartusianus 25, *natura humana cum constet ut ex propriis principiis ex elementis et qualitatibus contrariis gestationem et corruptionem afferentibus, propter originale adducta est ad corruptionem quae ex eius principiis naturaliter sequitur*.

8^o. Tam conclusio quam omnes eius rationes CONFIRMARI possunt quia nullum bonum nobis naturaliter debitum amisimus propter originale, siquidem nec propter personalia peccata amittimus illud semper nec daemones amiserunt, sed naturalia in

³⁶⁹ RUPERTUS, ABBAS MONASTERII S. HERIBERTI TUITIENSIS, *De glorificatione Trinitatis et Processione Sancti Spiritus*, 1.2, c.2: PL 169 33.

³⁷⁰ AMBROSIO, *Exaameron*, 1.6, c.7: PL 14 274.

³⁷¹ PSEUDODIONISIO, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 3 467.

eis mansere integra, ut docet Dionysius, *De divinis nominibus*, c.4, p.4³⁷², et fere omnes Doctores citati in 3^a probatione, et dicemus infra ubi de poena originalis.

Quod si Doctores 1^{ae} sententiae RESPONDEANT: iustitia originalis per originale peccatum amissa, non fuit homini naturaliter debita, quia quamvis eam potuissent maximo labore et longo tempore acquirere, nondum tamen eam acquisierat sed ex Dei liberalitate acceperat per accidens infusa. — Hanc solutionem falsitatis non potest convincere postremum hoc argumentum, eam tamen convincunt praecedentia argumenta.

Contra illum modum dicendi qui Scoto et quibusdam thomistis falso adscribitur, sit

2^a CONCLUSIO: *originale peccatum est privatio iustitiae originalis non praecisse quatenus iustitia perficiebat naturam hominis in ordine ad finem naturalem sed praecipue quatenus perficiebat in ordine ad finem supernaturalem et quatenus ad supernaturales actus facultatem dabat sive remote sive proxime, de quo infra dubio 8.*

Haec conclusio COLLIGITUR ex Doctoribus citatis probatione 3 primae conclusionis, et citandis in dubio sequenti, praesertim D. Thomae, Ferrariensis, Soto et Bellarmino. Eam expresse tradit Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1, col.769³⁷³; Zumel, q.82, a.3, disp.2, concl.2 et 3³⁷⁴.

PROBATUR quia iustitia originalis essentialiter est supernaturale donum, ut constat ex praecedenti conclusione; ergo essentialiter ordinatur ad finem supernaturalem et ut facultatem praebeat actionum supernaturalium; ergo originale peccatum erit privatio iustitiae originalis non solum quatenus ordinat ad finem naturalem sed etiam quatenus ad finem supernaturalem et supernaturales

³⁷² PSEUDODIONISIO, *De divinis nominibus*, c.4: PG 3 723.

³⁷³ GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum tomus secundus, complectens omnia 1 2 D. Thomae theoremata*, Disp. VI, q. XII (De quidditate peccati originalis), puncto 1: Lyon 1603, col.655.

³⁷⁴ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V. DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.82, a.3, disp.2, concl.2 y 3: Salamanca 1594, tomo 1, p.585s.

actiones tribuebat facultatem.

—Quod si RESPONDEAS peccati originalis privatio utramque formalitatem iustitiae originalis excludit materialiter loquendo, quia in originali iustitia eadem realitas est quae dirigit ad supernaturalia et ad naturalia; sed ex hac duplici formalitate privatio ordinis naturalis est formalis in originali peccato et privatio ordinis supernaturalis est quasi materiale. — CONTRA hoc arguitur quia potius originale peccatum ut sic est privatio iustitiae originalis ut [f.422v] supernaturalis erat.

Quod PROBATUR 1^o, quia peccatum originale est privatio iustitiae originalis ut reddebat naturam Deo gratam et illi subiectam amore amicitiae et in ordine ad visionem beatificam, ut in 6 et 7 dubio probabitur.

PROBATUR 2^o: quoniam originale peccatum est privatio iustitiae originalis ut reddebat hominem rectum perfecta rectitudine ita ut nullam rebellionem voluntatis, appetitus sensitivi et membrorum aut difficultatem pateretur; hoc autem essentialiter est aliquid supernaturale et ordinatum ad perfectiorem unionem cum Deo ut fine supranaturali.

PROBATUR 3^o, quia licet in peccato originali detur aversio a Deo ut est finis naturalis, illa tamen non datur nisi quatenus necessario consequitur ex aversione a fine supranaturali, ut explicabitur infra, dubio 9; ergo peccatum originale primario excludit iustitiam originalem ut ordinat ad supernaturalem finem et ex consequenti ut ordinat ad finem naturalem.

PROBATUR 4^o, quia si privatio iustitiae, sub aliqua ratione et fine naturali tantum, esset essentia originalis peccati, necessarium esset concedere duo originalia, aliud in ordine ad finem naturalem, aliud in ordine ad finem supernaturalem; nam privatio iustitiae originalis in ordine ad finem supernaturalem vere est imputabilis privatio boni quod homo tenebatur servare habetque omnia quae requiruntur ut sit peccatum originale, et haec ratio originalis peccati in ordine ad finem supernaturale non continetur in alio originali quod constituitur in ordine ad finem naturalem; e contra vero privatio iustitiae in ordine ad finem naturalem continetur eminenter in privatione iustitiae in ordine ad finem supernaturalem, ac proinde in ea concurrunt omnia quae ad

essentiam originalis pertinent.

AD ARGUMENTA initio proposita

RESPONDEO ad 1^{um}: falsitas antecedentis constat probationibus primae conclusionis.

Ad 2^{um} cum confirmatione RESPONDEO: in rebus quae pendent ex libera voluntate Dei, facile est invenire congruentias pro utraque parte contradictionis; quapropter tutior via inveniendae veritatis est quae ostendit quae pars magis cum Sacra Scriptura et cum antiquis Patribus consentiat; vidimus autem nostram sententiam efficaciter colligi ex Sacra Scriptura et Patribus. Adde quod illae eadem congruentiae adduci possunt ad nostrae sententiae confirmationem, quoniam si non spectato naturali usu liberi arbitrii gratia confertur a primo instanti, manifestius ostenditur actiones naturales nullius esse momenti ad gratiam obtinendam, et propterea non spectari, atque inde Adamus Dei liberalitatem et beneficii magnitudinem agnoscens, ad gratitudinem et animi demissionem incitaretur.

Ad 3^{um} RESPONDEO distinguendo consequens illius conditionalis: etenim concupiscentia, ignorantia, difficultas boni, et proclivitas ad malum, si accipiantur quantum ad entitatem realem quam necessario supponunt, scilicet, appetitum sensitivum et intellectum cognoscentem dependenter a sensibus, res sunt homini absolute naturales; si vero accipiantur hi defectus formaliter, scilicet pro negatione scientiarum quae perficiunt intellectum, et virtutum quae perfecte [f.423] subiiciunt voluntatem Deo et reliquas vires voluntati, ut sic, illi defectus sunt homini naturales in hoc sensu quod homo a natura non habet illas scientias et virtutes. Postremo si hi defectus accipiantur ut negationem dicunt scientiarum et virtutum non utcumque sed quas in statu innocentiae habuit natura humana et retinere debuit, ut sic, illi defectus sunt vulnera originalis peccati, nomine quorum homo tam secundum corpus quam secundum animum mutatus est in deterius.

Eadem distinctione RESPONDEO —ad 1^{am} confirmationem: ii defectus, quantum ad entitatem realem quam habent, sunt boni et a Deo, et minime accusandi; quantum ad privationem inde resultantem conveniunt naturae ut creata est ex nihilo, sed quantum ad respectum ad bona quae natura humana debuisset

retinere et amisit, ut sic, causantur ex originali peccato et non a Deo. —Ad 2^{am} confirmationem diximus q.79, a.1, dubio 7 sub finem³⁷⁵, negando consequent: quoniam ex entitate quam Deus produxit, per accidens sequuntur peccata. —Ad 3^{am} confirmationem: negatur antecedens, ut constabit infra dubio 17.

Ad 4^{am} RESPONDEO: Divus Leo naturalem dixit innocentiam eo quod cum natura traducenda fuisset si Adamus non peccasset, sicut e contra de originali peccato Paulus intulit: *eram et nos aliquando natura filii irae* [Ef 2,3].

Dubitatur 6 Utrum originale peccatum includat essentialiter privationem gratiae iustificantis

Pendet huius decisio ex alia quaestione: utrum originalis iustitia includat essentialiter gratiam iustificantem. Nam qui affirmaverit debet etiam asserere peccati originalis essentiam includere privationem iustificantis gratiae, nisi recedat a conclusione probata in dubio 4, scilicet originale peccatum consistere in privatione iustitiae originalis.

1^a opinio est gratiam iustificantem non includi in originali iustitia. Ita sentiunt Hugo et, ex Bonaventura, Guillelmus Parisiensis et Albertus citati prope initium praecedentis dubii. Et praeterea Ricardus, 2, d.30, a.3, q.2³⁷⁶; Paludanus, 4, d.27, q.4, a.4, conclusione 2³⁷⁷; Scotus, 2, d.29, q. *Unica*³⁷⁸; Gabriel, 2, d.30, q.1, a.3, dubio 2³⁷⁹; Maior, ibi, q.1, conclusione

³⁷⁵ ATG, 62 (1999) 225.

³⁷⁶ RICARDO DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, a.3, q.2: Brujas, tomo 2, 1591, p.377b.

³⁷⁷ PETRUS A PALUDE m. Paris 1342.

³⁷⁸ JUAN DUNS SCOTO, *Commentaria Oxoniensia ad IV libros Magistri Sententiarum*, 1.2, d.29, q. *Unica*: Quaracchi 1914, t.2, p.737.

³⁷⁹ GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 2, d.30, q.1, a.3 dub.2: Tubinga 1984, 1.2, p.558s.

1³⁸⁰; Marsilius, 2, d.16, a.6³⁸¹; Eckius apud Sotum, 1 De natura et gratia, c.5, col.10³⁸²; Abulensis, in caput 3 Geneseos, q.6 et 7³⁸³; Catherinus, in Gn, apud Pererium, libro 5 in Gn, disputatione de iustitia originali, q.3 sententiam et disputationem de gratia Adami, q.1³⁸⁴.

Eadem sententia tribuitur Magistro variis in locis sed nullibi Magister innuit quam in 2, d.24, prope initium et d.23³⁸⁵; sed ita ambigue loquitur ut non solum admittat explicationem D. Thomae, 1 p., q.95, a.1 ad 4³⁸⁶, sed etiam ex illo liceat oppositum colligere.

Obiter observandum est hos Doctores non eodem modo sentire de statu primi parentis ante peccatum: nam Hugo, [f.423v] Guillelmus Parisiensis, Paludanus et Marsilius existimant primos parentes ante peccatum non fuisse praeditos iustificante gratia; alii autem Doctores, licet ante peccatum concedant collatam fuisse gratiam iustificantem, asserunt tamen illam non ab instanti creationis collatam esse, scilicet non pertinere ad substantiam iustitiae originalis.

1^{um} argumentum, Ricardi: quia gratia gratum faciens respicit personam prius et immediatius quam naturam; sed iustitia originalis prius et immediatius respiciebat naturam quam personam et peccatum originale prius et immediatius inficit naturam quam personam; ergo gratia gratum faciens non includitur in

³⁸⁰ JOHN MAIOR, *In secundum Sententiarum*, d.30, q.1: Paris 1519, fol.37v.

³⁸¹ MARSILIO DE INGHEN, *Quaestiones super quattuor libros Sententiarum*, 2, q.16, a.6: 1.501, fol.286.

³⁸² DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, 1.1, c.5: Salamanca 1554, fol.17v.

³⁸³ TOSTADO, ALFONSO, *Aurea doctoris eximii sacrique presulis divi Alphonsi Abulensis in Genesim explanatio litteralis amplissima*, c.3, q.6, q.7: Venecia 1507, fol.39vb.

³⁸⁴ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp. *De imagine Dei ad quam creatus est homo*: Lyon 1599, p.373.

³⁸⁵ PEDRO LOMBARDO, *Sententiarum libri IV*, 1.2, d.24: Quaracqui 1916, t.1, p.419, 416.

³⁸⁶ TOMÁS DE AQUINO, 1 p., q.95, a.1 ad 4: ed.leon. 5, 421.

essentia iustitiae originalis; et ex consequenti privatio gratiae non pertinet ad essentiam originalis peccati. Confirmat, quia gratia gratum faciens amittitur quotidie per crimina personalia et recuperatur per actus personales contritionis et confessionis; ergo gratia gratum faciens pertinet ad personam prius et immediatius. Rursus iustitia originalis non recuperatur per actus personales; ergo non pertinet immediate ad personam, ac proinde non includit gratiam.

2^{um} argumentum, Catherini et aliorum: quoniam Eva gratiam iustificationis perdidit prius tempore quam originalem iustitiam; ergo iustitia originalis est aliquid diversum et separabile a gratia iustificante. Antecedens probatur quia Eva antequam Adamus peccaret non erubuit; ergo nondum amiserat originalem iustitiam, et tamen antequam Adamus peccaret amiserat Eva gratiam iustificantem; ergo separata fuit a iustitia originalis.

3^{um} argumentum, Paludani: quia si primi parentes ante peccatum accepissent gratiam, ab illis cepisset Ecclesia militans quae, posquam semel fuisset desponsata Deo, repudiata fuisset, quod videtur inconueniens; si autem primi parentes ante peccatum non fuerunt praediti gratia iustificante, cum praediti fuerint originali iustitia, iam hoc donum sine gratia iustificante reperitur.

Marsilii sunt tria argumenta quae sequuntur:

4^{um} argumentum est quia angelus non fuit creatus in gratia; ergo nec primi parentes.

5^{um} argumentum sumitur ex quibusdam congruentiis, quarum prima est ut sicut gratia praecedit tempore gloriam quae tribuitur illi qui bene utitur accepta gratia, ita gratiam tempore praecederet originalis iustitia, et gratia tribueretur illi qui bene usus fuerit originali iustitia. Confirmatur quia gratia corona est homini tribuenda postquam de inimico triumphaverit; ergo non erat concedenda primis parentibus antequam daemonis tentationem superassent.

6^{um}, quia Augustinus, 2 De civitate, c.2, dicit quemlibet iustum in quibuslibet cruciatibus corporis beatiorem esse Adamo existente in Paradiso; sed haec sententia vera esse non posset si Adamus gratiam habuit ante peccatum; ergo non habuit gratiam.

7^{um}, quia Augustinus, in Quaestionibus Veteris et Novi

Testamenti, q.123³⁸⁷, disertis verbis refellit eos qui dicunt Adamum accepisse Spiritum Sanctum et fuisse per adoptionem filium Dei, et eam adoptionem per inoboedientiam Adami perditam nos per Christum Dominum recuperare. Et in eodem loco confirmatur sententia auctoritate Pauli, 1 Cor 15 [45], dicentis *primum hominem, scilicet Adamum, factum esse in animam viventem, secundum vero, scilicet Christum, factum esse in Spiritum vivificantem*; ergo Adamus non est factus in Spiritum vivificantem.

8^{um} argumentum desumi potest ex Augustino, libro De correptione et gratia³⁸⁸, dicente Deum sic condidisse angelos et primum hominem ut prius in eis ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium; ergo antequam humani arbitrii fragilitas ostenderetur, peccatum non fuisset Adamo collatum gratia beneficii.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *originale peccatum essentialiter includit privationem gratiae iustificantis.*

Haec conclusio colligitur ex D. Thoma qui 1^a 2^{ae}, q.82, a.3, et De malo, q.4, a.4³⁸⁹, ait formalem rationem originalis peccati consistere in [f.424] privatione iustitiae originalis et tamen 1 p., q.95, a.1, c, iuncta solutione ad 2^{um} et ad 4^{um}³⁹⁰, et 1^a 2^{ae}, q.83, a.2 ad 2, docet gratiam iustificantem fuisse iustitiam originalem, quod manifestius docent Soto, Molina et alii citandi in dubio sequenti post conclusionem 1^{am}.

Hanc conclusionem docet expresse Bellarminus, tomo 3 De amissione gratiae et statu peccati, libro 5, cap.19, § *Quarta sententia*³⁹¹; Valentia, tomo 2, disp.6, q.12, puncto 1, dum

³⁸⁷ AGUSTÍN, *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti*, q.123: tomo 4, Paris 1614, p.472s. Véase la refutación de este 7º argumento: no es S. Agustín.

³⁸⁸ AUGUSTINUS, *De correptione et gratia*, c.10: PL 44 932.

³⁸⁹ TOMÁS DE AQUINO, *De malo*, q.4, a.4: ed.leon. 23, 116.

³⁹⁰ TOMÁS DE AQUINO, 1 p., q.95 c, ad 2, ad 4: ed.leon. 5, 420s.

³⁹¹ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, l.5, c.19: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.450.

explicat sententiam D. Thomae in dubitatione 1 et 3³⁹²; Zumel, 1 2, q.82, a.3, disp.2, concl.4 et 5³⁹³; Ruardus, a.2 contra Luterum post § *Ex his vidimus*, pag.51 [71]³⁹⁴, quamvis hi etiam Doctores non consentiant in modo quo gratiae privatio pertinet ad essentiam originalis, et Ruardus dissentiat in ratione culpae.

Conclusio PROBATUR 1^o, quia per originale peccatum constituuntur homines formaliter iniusti et inimici Dei et odio digni; sed ille qui debebat habere gratiam constituitur iniustus et inimicus Dei per imputabilem carentiam gratiae iustificantis; ergo privatio gratiae iustificantis pertinet ad essentiam originalis peccati.

Huius argumenti propositio MAIOR definitur expresse in Tridentino, sess. 5, in decreto de originali, § 1³⁹⁵, et colligitur ex Paulo ad Ephes 2 [3], *eramur et nos aliquando natura filii irae sicut et caeteri*, et ad Ro 5 [19] *unius delicto peccatores constituti sunt multi*, et ex iis omnibus quae adducta sunt in dub.1. MINOR autem probatur: quia per iustitiam et gratiam a Deo infusam et nobis inhaerentem constituimur formaliter iusti, ut definitur in Tridentino, sess.6, can.11³⁹⁶; ergo ille qui gratiam habere debebat constituitur iniustus formaliter per imputabilem privationem gratiae iustificantis.

CONFIRMATUR 1^o, quia peccatum mortale habituale quod personali voluntate enrahimus includit essentialiter privationem gratiae iustificantis; ergo similiter originale peccatum; sed ne quis contendat quantum ad hoc discrimen constituere inter originale et personale peccatum, CONFIRMATUR 2^o, ex verbis Tridentini, sess.6, cap.7, fine³⁹⁷, *veram et Christianam iustitiam ceu pri-*

³⁹² GREGORIO DE VALENCIA, *Commentariorum theologorum tomus secundus, complectens omnia 1 2 D. Thomae theoremata*, Disp.VI, q.XII (De quidditate peccati originalis), puncto 1, dub.1 y 3: Lyon 1603, col.656-659.

³⁹³ FRANCISCUS ZUMMEL, O.B.M.V.DE MERCEDE, *In 1^{am} 2^{ae} Divi Thomae commentarius*, q.82, a.3, disp.2, concl.4 y 5: Salamanca 1594, t.1, p.586-589.

³⁹⁴ RUARDUS TAPPER, *Explicationis articulorum... facultatis... lovaniensis*, art.2: Lovaina, 1555, p.71.

³⁹⁵ Dz-Sch 1511.

³⁹⁶ Dz-Sch 1561.

³⁹⁷ Dz-Sch 1531.

*mam stolam pro illa quam Adam sibi et nobis sua inoboedientia perdidit iubentur renati servare, ex quibus colligitur homines per originale formaliter spoliatos esse iustitia et gratia, quod PROBO quia eam sibi et nobis Adamus perdidit et eam per Iesu Christi gratiam recuperamus, et hac ratione de potestate tenebrarum transferimur in regnum Filii dilectionis Dei, secundum Paulum ad Col 1 [13]. [f.424v] CONFIRMATUR 3, quia Tridentinum, sess.5, can.3, definit ex Adamo ad nos transfundi peccatum quod est mors animae et quo spoliatur iustitia et sanctitate; sed vita animae consistit praecipue in gratia iustificante ex mente omnium sanctorum; ergo originale peccatum includit essentialiter privationem iustificantis gratiae, quod totum colligitur ex Paulo 1 Cor 15 [21s] dicente: *quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum, et sicut in Adam omnes moriuntur ita et in Christo omnes vivificabuntur*; quod autem mors Christi Domini et illius resurrectio ad nostram iustificationem praecipue pertineat constat ex Paulo ad Rom 6 et alibi saepe praesertim illis verbis *mortuus est propter delicta nostra resurrexit propter iustificationem nostram* [4,25].*

2° PROBATUR conclusio quia ad Col 3 [9s], ita Paulus praecipit: *expoliantes vos veterem hominem cum actibus et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione secundum imaginem eius qui creavit illum*; quod autem haec renovatio fiat per iustitiam et sanctitatem constat ex eodem Paulo ad Ephes 4 [23s] *renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*.

In utroque loco 3 propositiones continentur quae, quamvis metaphorice, solidam tamen theologiam continent:

—1^a propositio est: omnes homines antequam Christi Domini gratiam accipiant induti sunt veterem hominem et illi praesertim qui ab originali nondum fuerant liberati. Nam per originale induimus veterem hominem usque adeo ut omnes reputati fuerimus unus homo in Adamo peccante, supra dubio 2, quamvis donec committamus peccata personalia non erumpamus in actus veteris hominis.

—2^a propositio: Christi Domini iustitiam, gratiam et veram sanctitatem accipientes induimus novum hominem, scilicet

Christum et exuimus veterem.

—3^a propositio: gratia et iustitia quam per Christum Dominum accipimus est renovatio ad instar illius gratiae qua natura humana in Adamo creata fuit ad similitudinem Dei.

Ex his propositionibus colligo originale peccatum ratione cuius induimus veterem hominem includere essentialiter carentiam gratiae iustificantis quam sibi et nobis acceperat in prima conditione, ad cuius similitudinem reparamur et renovamur quando per gratiam iustificantem in baptismo Christum induimus.

3^o PROBATUR conclusio quia peccato originali debetur poena damni ita ut carentia visionis beatificae in pueris limbi non sit solum negatio boni ut esset in homine creato in puris naturalibus sed vere sit privatio et poena ut coligitur aperte ex Innocentio III, capite *Maiores de baptismo*, § *Ad id autem*, et dicemus in postrema sectione, de poena originalis peccati. Videri potest Bellarminus, libro 6, de statu peccati, cap.2, tomo 3³⁹⁸; ergo peccatum originale includit essentialiter privationem gratiae iustificantis. Probatur consequentia, quia gratia [f.425] sanctificans est ius ad visionem ita ut de lege ordinaria illi omnes et soli habeant ius videndi Deum qui gratia iustificante praediti sunt; ergo culpa excludens ius videndi Deum, excludit gratiam iustificantem; sed originale excludit ius videndi Deum; ergo excludit gratiam iustificantem.

CONFIRMATUR quia, si aliquis respondeat ex originali culpa provenire privationem gratiae sed non includi essentialiter in illa, non poterit ostendere huius doni habitualis privatio sit prior in eo qui peccat quam privatio filiationis adoptivae et iustificationis, quae per gratiam confertur.

4^o PROBATUR quia originale peccatum dicit essentialiter privationem originalis iustitiae; sed in originali iustitia essentialiter includitur gratia iustificans ut praecipua pars illius; ergo originale peccatum essentialiter includit privationem gratiae iustificantis. Maior constat ex dubio 4; et minor explicabitur magis in dubio sequenti; nunc autem probabiliter suadetur

³⁹⁸ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, 1.6, c.2: ed. Vivès 1873, tomo 5, p.455.

quoniam plures sanctorum affirmant Adamum per inoboedientiam amisisse Dei gratiam et illam per Christum recuperatam nobis esse; unde videntur supponere gratiam iustificantem esse illud donum quod sibi et nobis perdidit Adamus, et per Redemptorem recuperatur, quod est proprium originalis iustitiae.

Hoc aperte docuit Anacletus papa in epistola 1 Decretalium; et Rupertus 2 De Trinitate, c.2³⁹⁹; atque idem videtur sentire D. Dionysius, cap.3 De ecclesiastica hierarchia, longe post medium⁴⁰⁰, dicens naturam humanam in paradyso a divina et sursum agente vita voluntarie decidisse; quod vitae divinae nomen quadrare non potest nisi in vitam gratiae quae est participatio divinae naturae. Colligitur etiam ex Basilio, in Ps 48, in id *homo cum in honore esset*⁴⁰¹, et libro de Spiritu Sancto, c.15⁴⁰². D. Augustinus, De correptione et gratia, c.11⁴⁰³; et 13 De civitate, c.13⁴⁰⁴; Irenaeus, libro 3 Contra haereses, a cap.20, et 37⁴⁰⁵; Cyrillus, libro 1 in Ioannem, cap.15, et libro 2, c.3⁴⁰⁶; Hieronymus, epist. ad Damasum, de filio prodigo⁴⁰⁷; Cyprianus, sermone 3 qui est de bono patientiae⁴⁰⁸, et epist. ad Pompeium⁴⁰⁹; Chrysostomus, homilia 16 in Gn⁴¹⁰; Leo Papa, sermone 1 de ieiunio decimi mensis⁴¹¹. Horum fere omnium verba

³⁹⁹ RUPERTUS, ABBAS, *De glorificatione Trinitatis et Processione Sancti Spiritus*, 1.2, c.2: PL 169 33.

⁴⁰⁰ PSDIONYSIUS, *De ecclesiastica hierarchia*, c.3: PG 3 439s.

⁴⁰¹ BASILIO, OB. DE CESAREA DE CAPADOCIA, *Homilia in Ps. 48*: PG 29 450.

⁴⁰² BASILIO, *Liber de Spiritu Sancto*, c.15: PG 32 67.

⁴⁰³ AUGUSTINUS, *De correptione et gratia*, c.11: PL 44 933.

⁴⁰⁴ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.13, c.13: CCL 48 395, PL 41 386.

⁴⁰⁵ IRENEO, *Contra haereses libri quinque*, 1.3, c.20: PG 7 934; 1.3, c.37: PG 7 963s.

⁴⁰⁶ CIRILO ALEJANDRINO, *In Ioannis Evangelium*, 1.2, c.3: PG 73 223-226.

⁴⁰⁷ JERÓNIMO, *Epistola ad Damasum, de duobus filiis*: PL 22 381.

⁴⁰⁸ CIPRIANO, *De bono patientiae*: PL 4 654ss.

⁴⁰⁹ CIPRIANO, *Epistola ad Pompeium*: PL 3 1178.

⁴¹⁰ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia 16 in Genesim*: PG 53 131.

⁴¹¹ LEÓN MAGNO PAPA, *Sermo 1 de ieiunio decimi mensis*; Lovaina 1577, p.27; PL 54 168.

referunt Bellarminus, tomo 3 *Controversiarum* libro unico, cap.3⁴¹², et Pererius, libro 5 in Gn, disp. De gratia Adami, q.1⁴¹³; Vega, 7 In Tridentinum, c.3 a medio, et libro 12, c.6 initio⁴¹⁴.

Hoc argumentum Sacrae Scripturae et Sanctorum more confirmatur quo iustitiae et gratiae nomen non tribuitur nisi supernaturali dono quod nos reddit filios adoptivos Dei et habentes ius ad Gloriam; unde cum iustitia originalis retineat nomen iustitiae qua homo redditur absolute iustus, et sine discrimine sancti dicant gratiam et iustitiam originalem amissam esse ab Adamo, consequens est ad iustitiam originalem pertinere gratiam iustificantem. Praesertim de modo loquendi Augustini vide Sotum, 1 De natura et gratia, cap.5, col.6 et 7⁴¹⁵. [f.425v]

Quod si hinc inferas: si Adamus non peccasset traducenda fuisse in posteros gratiam Dei ut traducenda erat originalis iustitia; respondeo hoc non esse inconveniens sed magis consonum theologiae et aliquid probabilitatis redundat in conclusionem nostram, de quo dicemus forte ubi de traductione originalis.

Ex dictis colligitur quid censendum sit de propositionibus contrariis nostrae conclusioni.

Quarum —1^a est: Adamus et Eva non habuerunt gratiam iustificantem ante peccatum.

Haec opinio licet fuerit catholicorum et gravium doctorum (in principio huius dubii), iam est erronea, ut notat Molina, 1 p., q.62, a.3, col.4⁴¹⁶, quod probant efficaciter testimonia Sacrae Scripturae et Sanctorum superius citata, praesertim quae ex

⁴¹² ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, l.unico, c.3: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.173ss.

⁴¹³ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp. *Utrum sit cum gratia creatus Adam*: Lyon 1599, p.545.

⁴¹⁴ VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa*, 1.7, c.3; 1.12, c.6: Colonia 1572, p.134; p.440.

⁴¹⁵ DOMINGO DE SOTO, O.P., *De natura et gratia libri tres*, 1.1, c.5: Salamanca 1554, fol.15vs.

⁴¹⁶ LUIS DE MOLINA, S.I., *Commentaria in Primam D. Thomae Partem*, q.62, a.3: Cuenca 1592, col.1807.

Tridentino adduximus in probatione 1. Videri possunt de hac re praesertim Bellarminus, tomo 3, *Controversiarum* 1, libro unico, cap. 3⁴¹⁷; Pererius, libro 5, in finem disputationis de gratia Adami, q.1⁴¹⁸; Vega, 7 in Tridentinum, cap.3, et libro 12, c.6 initio⁴¹⁹; Molina, 1 parte de opere sex dierum, disp.27⁴²⁰, ex positione D. Thomae, 1 p., q.95, a.1⁴²¹, ubi Zumel, q.2.

—2^a propositio est: primi parentes creati sunt sine gratia iustificante, licet postea illam acceperint ante peccatum.

—3^a est: originalis iustitia non includit gratiam iustificantem.

Hae duae propositiones iam nullam aut valde exiguam probabilitatem habent; propter praecedentia fundamenta quae confirmantur ex dicendis in sequenti dubio, et quia probati Doctores huius temporis communiter sentiunt primos parentes accepisse gratiam a primo instanti creationis, quod ex eisdem testimoniis colligunt quibus asseritur esse collata iustitia originalis. Vide Doctores nuper citatos.

—4^a PROPOSITIO directe contraria nostrae conclusioni: originale peccatum non includit essentialiter privationem gratiae.

Haec videtur nullam habere probabilitatem.

AD ARGUMENTA IN PRINCIPIO PROPOSITA,

RESPONDEO AD 1^{UM} distinguendo minorem, nam iustitia originalis, in quantum iustitia est respicit personam non minus immediate quam gratia gratum faciens; sed eadem iustitia in quantum originalis, respicit naturam, et ratio est quia originalem esse pervenit iustitiae a decreto et pacto Dei transfundendi iustitiam in posteros Adami si ab illo servaretur, quod pertinet primario et immediate ad universam naturam humanam, sed ratio

⁴¹⁷ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, 1.unico, c.3: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.173ss.

⁴¹⁸ BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp. 5: Lyon 1599, p.550s.

⁴¹⁹ VEGA, ANDRÉS, *De iustificatione doctrina universa*, 1.12, c.6: Colonia 1572, p.440.

⁴²⁰ LUIS DE MOLINA, S.I., *De opere sex dierum*, Disp.27: Cuenca 1592, col.2059.

⁴²¹ TOMÁS DE AQUINO, *Summa Theologiae*, 1 p., q.95, a.1: ed. leon. 5, p.420.

iustitiae in eo posita est quod hominem in quo fuerit reddat gratum Deo et simpliciter iustum. AD CONFIRMATIONEM RESPONDEO: iustitia originalis quantum ad suos praecipuos habitus, gratiae, charitatis et aliarum virtutum, recuperatur a nobis per baptismi et poenitentiae sacramenta et per actus personales contritionis. Caeterum, absolute verum est non recuperari originalem iustitiam quia non recuperatur gratia cum ea lege et pacto ut per originem transmittatur ad filios, et quoniam gratia in nobis non habet complementum illud excludens venialia peccata, rebelliones appetitus, errores intellectus et alias mis- [f.426] -rias quas originalis iustitia excludebat.

AD 2^{UM} ARGUMENTUM RESPONDEO negando antecedens. Quin potius, Eva cum primum peccavit amisit non solum gratiam iustificantem sed etiam omnes habitus qui appetitum sensitivum subiiciebant rationi; nam illi supposebant subiectionem rationis sub Deo quam gratia et charitas efficiebant. Sed URGENT adversarii interrogantes cur, non statim Eva erubuit de nuditate et quare rebelliones carnis non protinus sensit. RESPONDEO non esse necessarium amissa originali iustitia protinus exurgere et foras erumpere omnes motus inordinatos sed sua cuique data occasione praesertim tempore brevissimo et animo in aliam rem vehementer intento; rapiebatur autem Eva desiderio et cura inveniendae rationis qua maritum ad eandem escam invitaret; quare facile potuit oblivisci pudoris et nuditatis. Ita existimat Pereraius. libro 5 in Gn, disp. de iustitia originali, q.3⁴²², et Zumel, 1 p., q.95, a.1, q.2 ad 3; et Maior, 2, d.30, q.1 ad 7⁴²³, addit oportuisse rebellionem carnis latere in foemina ne illius poena vir deterreretur a peccando; qua de causa demon abstinuit a concitando motu carnis, et Deus permisit. Haec solutio videtur probabilior quam

⁴²² BENEDICTUS PERERIUS, S.I., *Commentariorum et disputationum in Genesim*, t.1, libro 5, disp. 3^o de iustitia originali: Lyon 1599, p.580.

⁴²³ JOHN MAIOR, *In secundum Sententiarum*, d.30, q.1 ad septimum (por errata «ad sextum»): Paris 1519, fol.38va.

illa Caietani in 1 p., q.95, a.1⁴²⁴, dicentis permansisse aliquid originalis iustitiae in Eva ante peccatum Adami, quo inordinati motus appetitus compescerentur. Quare, a fortiori reiiciendus est Lyranus: in c.3 Gn concedit originale iustitiam in Eva cum mortali peccato permansisse⁴²⁵, contra quem vide Paulum Burgensem⁴²⁶ ibi, et Maiorem citatum.

Ad 3^{um} RESPONDEO: quamvis duo primi parentes in gratia creati fuerint, eorum numerus non erat sufficiens ut essent et dicerentur Ecclesia sed tantum initium Ecclesiae; illud autem initium Ecclesiae totum a gratia excidisse. Porro Ecclesiam non cepisse usque ad Abel docet Paludanus citatus in principio; Altissiodorensis, tract.1, c.4, q.1⁴²⁷, et fuse probat Turrecremata, 1.1 De Ecclesia, c.25 et duobus sequentibus⁴²⁸, et breviter Bellarmino, tomo 1, libro 3 De Ecclesia militante, c.16 ad 1⁴²⁹.

Ad 4^{um}, negatur antecedens; immo communior sententia Theologorum docet angelos in gratia creatos esse. Vide 1 p., q.62, a.3⁴³⁰.

Ad 5^{um} RESPONDEO eodem modo quo in praecedenti dubio solutum est argumentum 2: scilicet in iis quae pendent ex libera voluntate Dei, ratio desumpta ex auctoritate firmior est quam quae a congruentia ducitur. RESPONDEO 2^o: congruentius est, nullo spectato triumpho per vires naturae concedendo gratiam conferri; quia gratia usque adeo excedit naturale meritum et dispositionem

⁴²⁴ TOMÁS DE VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1^a p., q.95, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.5, p.421.

⁴²⁵ *Biblia Sacra cum glossa ordinaria .. et postilla Nicolai Lyrani et additionibus Pauli Burgensis*, c.3: Lyon 1590, col.93.

⁴²⁶ *Ibidem*, col.107.

⁴²⁷ GUILLERMO ALTISSIODORENSE, *Summa Aurea*, 1.3, tract.1, c.4, q.1: fol.128v.

⁴²⁸ (TORQUEMADA), IOANNIS TURRISCREMATAE *Summae Ecclesiasticae libri quatuor*, 1.1, c.25-27: Salamanca 1560, p.42-48.

⁴²⁹ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de Conciliis*, Liber tertius, qui est de Ecclesia militante toto orbe terrarum diffusa, c.16: ed. Vivès 1870, tomo 2, p.354.

⁴³⁰ TOMÁS DE AQUINO, *Summa Theologiae*, 1 p., q.62, a.3: ed. leon. 5, p.112.

ut haec ad concedendam gratiam reputetur esse nihil; gratia autem de condigno et proportionate disponit et [f.426v] meretur visionem beatificam et propterea congrue illam praecedit tempore.

Ad 6^{um} RESPONDEO: apud Augustinum in 2 De civitate, c.2 non reperitur illa sententia; videtur autem esse desumpta ex 11 De civitate, c.12⁴³¹; sed hic D. Augustinus aperte loquitur de iis iustis qui non ambigua opinione sed certa revelatione cognoscunt suam perseverantiam in gratia, quos quantum ad spem aeternae vitae beatiores esse quam Adamus fuerit in statu innocentiae manifestum est, etsi Adamus fuerit tunc abundanti gratia praeditus.

Ad 7^{um}, D. Thomas, 1 p., q.95, a.1 ad 2⁴³², pie interpretari conatur illam sententiam ut reddat hunc sensum: Adamus ante lapsum non sic fuit adoptivus filius Dei et Spiritu Sancto instructus ut plerique in lege gratiae qui statim post mortem admittuntur ad haereditatem. — Sed quoniam auctor quaestionum Veteris et Novi Testamenti invitus in hanc sententiam trahitur, praestat respondere dicendo auctorem non fuisse Augustinum, immo nec hominem probatae fidei, ut ostendit Bellarmino, tomo 3, libro unico, c.3, § *Ex his*⁴³³, commemorans plures et apertos illius errores. AD CONFIRMATIONEM, RESPONDEO, ex mente Chrysostomi⁴³⁴, Theophilacti⁴³⁵, Ambrosii, Anselmi et aliorum in commentario illius loci, et Augustini in epistula 146⁴³⁶, et libro 13 De civitate, c.23⁴³⁷: Paulus illis verbis nihil agit de gratia et aliis donis pertinentibus ad animum sive Adami sive Christi Domini sed tantum de qualitate ac dotibus corporis comparat; ergo Adami corpus in statu innocentiae cum Christi corpore iam glorioso post resurrectionem; et asserit primum hominem factum

⁴³¹ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.11, c.12: CCL 48 333, PL 41 328.

⁴³² S. THOMAS, 1 p., q.95 c, ad 2: ed.leon. 5, 421.

⁴³³ ROBERTO BELLARMINO, *Controversiarum de amissione Gratiae sive de statu peccati*, 1.unico, c.3: ed.Vivès 1873, tomo 5, p.175.

⁴³⁴ JUAN CRISÓSTOMO, *Homilia 41 in epist.1 ad Cor*: PG 61 359.

⁴³⁵ TEOFILACTO, *Commentarius in epistolam I ad Corintios*, c.15, v.45: PG 124 775s.

⁴³⁶ AGUSTÍN, *Consentio*, epist.146: Basilea 1569, t.2, col.676; PL 33 942.

⁴³⁷ AUGUSTINUS, *De civitate*, 1.13, c.23: CCL 48 405ss, PL 41 396.

esse in animam viventem, id est, ita formatum esse ut tanquam animal indigeret cibo et potu, premeretur gravitate et quantitate impediretur; sed Christus Dominus post resurrectionem factus est in spiritum vivificantem quia cibo et potu non indigebat, non deprimebatur gravitate nec quantitate impediri potest quominus quaecumque corporea penetret, quae sunt proprietates spirituum, et hic intellectus aperte colligitur ex praecedentibus verbis Pauli *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* [1Cor 15,44].

Ad 8^{um} RESPONDEO negando consequentiam atque illud non colligitur ex Augustino eo loco, ut constat tum ex sequenti capite, tum ex testimoniis Augustini supra citatis; sed Augustini mens est Deum in angelis et hominibus prius voluisse ostendere quid posit liberum arbitrium, siquidem illud est adeo fragile et infirmum ut non solum suis viribus relictus sed etiam gratia suffultum decadat, et postea in iis quos in gratia confirmavit ostendisse Deum quantum posit abundantioris cuiusdam gratiae beneficium, unde non colligitur angelos et Adamum non fuisse praeditos gratia ante peccatum sed tantum colligitur non fuisse confirmatos in gratia.